LEIPZIGER STUDIEN

ZUR

CLASSISCHEN PHILOLOGIE

HERAUSGEGEBEN

VON

O. RIBBECK H. LIPSIUS C. WACHSMUTH

SECHZEHNTER BAND.

LEIPZIG
VERLAG VON S. HIRZEL
1894.

INHALT.

Seite

AUGUSTUS JÜNEMANN, De legione Romanorum I. Adiutrice . . 1

ERNST FRIEDRICH BISCHOFF, Beiträge zur Wiederherstellung altgriechischer Kalender 141

J. H. LIPSIUS, Die Phratrie der Demotionidai 159

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/leipziger-studien-zur-classischen-philologie_1894_16

Quanti momenti ad aetatem imperatorum cognoscendam historia legionum sit, nemo fere est, qui nesciat. Sed cum universa omnium legionum historia scribi non possit, nisi antea singularum res pervestigatae sunt, exemplo commotus virorum doctorum, qui nuper de eiusmodi rebus disseruerunt [1]), ego quoque ad historiam legionum perspiciendam, quantum in me est, conferam. Quarum ex numero legionem I. Adiutricem pertractare mihi proposui.

Quam quaestionem ita ad finem perducere, ut omnia, quae aut certo tradita habemus aut coniectura assequi licet, in unum colligamus, quam difficile sit, haud ignoro, praesertim cum neque corporis inscriptionum Latinarum id volumen, quod titulos in duabus Germaniis repertos contineat, in lucem editum sit, et monumenta, quae ad hanc legionem pertinent, in dies nova cum in Germania tum in Illyrico effodiantur. Attamen ad id, quod mihi propositum est, accedere non cunctor ratus materiem, quam et rerum scriptores tradunt et inscriptiones praebent, ita iam sufficere, ut de historia legionis I. Adiutricis certum quid constituere, vel, quoad iam tractata sit, rectius iudicare liceat.

Atque ut brevissime exponam, qua via ac ratione hanc dissertationem composuerim: primum de origine legionis nominibusque dicam, deinde singulis capitibus disseram, quibus in

---

1) Ut E. Ritterling, de legione Romanorum X. Gemina. diss. Lps. 1885, et E. Schultze, de legione Romanorum XIII. Gemina. diss. Kil. 1887. — Nuperrime scripsit Otto Schilling de legione I. Min. et XXX. Ulpia, diss. Lips. 1893. = Stud. Lips. XV p. 1—128.

provinciis haec legio castra habuerit quidque in pace et in bello perfecerit.[1]) —

---

1) Fontes ac libri, quibus potissimum usus sum, hi sunt:

Corpus Inscriptionum Latinarum, vol. II—XIV (quae volumina solo numero laudantur).

Ephemeris epigraphica, vol. I—VIII (Eph. epigr.).

'Archäologisch-epigraphische Mitteilungen aus Österreich' vol. I—XVI (Arch.-epigr. Mitt.).

Inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectio, ed. Orelli-Henzen (O.).

'Archaeologiai Értesitö', vol. X et XI (Arch. Értesitö).

'Notizie degli Scavi di Antichità' 1886—1892 (Notizie d. Scavi).

Corpus Inscriptionum Rhenanarum Brambachii (Bramb.).

'Jahrbücher des Vereins von Altertumsfreunden im Rheinlande' XV—LXXXXIII (Bonner Jahrbb.).

Klein, 'Über die Legionen, welche in Obergermanien standen', prgr. gymn. Mogont. 1853.

'Westdeutsche Zeitschrift für Geschichte u. Kunst' (Westd. Zeitschr.) vol. I—XI. — 'Korrespondenzblatt derselben' (Korresp. d. Westd. Zeitschr.).

Pfitzner, 'Geschichte der Römischen Kaiserlegionen von Augustus bis Hadrian', Lps. 1881.

Aschbach, 'Die römischen Legionen I. u. II. Adiutrix', in: 'Sitzungsberichte der Wiener Akademie, philol.-historische Classe' XX p. 290 sqq.

'Dizionario epigraphico di Antichità Romane di Ettore de Ruggiero' (1886) s. v. Adiutrix.

Dr. Dante Vaglieri, 'le due legioni Adiutrici'. Roma 1887.

Wiener, de legione Romanorum XXII. primig. Darmstad. 1838.

H. Meyer, 'Geschichte der XI. u. XXI. Legion', in 'Mitteilungen der antiquarischen Gesellschaft in Zürich VII 5', Turic. 1853/4.

Metellus Meyer, 'Über die XIV. Gemina', cf. Philol. 47 (1889) p. 660.

Büdingers 'Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte' I—III, Lips. 1868—70.

Theodor Bergk, 'Zur Geschichte und Topographie der Rheinlande in römischer Zeit'. Lips. 1882.

CAPUT I.

De origine et nominibus legionis I. Adiutricis.

1. De origine legionis.

Augusto mortuo viginti quinque legionibus exercitus perpetuus efficiebatur, qui numerus paulatim auctus ita crescebat, ut secundo saeculo ineunte triginta legiones essent.[1]) Inter eas, quae post Augusti demum aetatem creatae sunt, fuit legio I. Adiutrix. Cuius de origine docemur et auctorum veterum testimoniis et legionum titulis, quos praebent lapides in omnibus fere imperii Romani partibus reperti. Atque id quidem inter omnes constat hanc legionem anno 68. e classiariis militibus conscriptam esse; cui tamen principi originem debeat, scriptores inter se dissentiunt. Propterea controversia inter viros doctos orta est, utrum Nero legionem Romae constituerit an Galba in Hispania. Atque a Galba legionem I. Adiutricem in Hispania creatam esse Grotefend[2]) contendit, ab imperatore Nerone legionem conscriptam esse Rittero placuit.[3]) Cui adstipulatus est Pfitzner[4]) novis argumentis sententiam confirmans.

---

1) Cf. Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' II² p. 448 sqq.

2) 'Gruss an H. L. Ahrens. Die Legio I. Adiutrix von Galba, nicht von Nero errichtet', Hannover 1849 (hunc librum in manibus non habui), et 'Bonner Jahrbb.' XVII p. 209. — Grotefendii sententiam in universum probat Aschbach (l. l.), qui summatim originem legionis explicat.

3) 'Bonner Jahrbb.' XV p. 173.

4) l. l. p. 42 sqq. et p. 218. — Ceterum cf. 'Jahrbb. für class. Philologie, 3. Jahrg.' vol. 75 (1857) p. 730, et 'Zeitschrift für die klassische Altertumswissenschaft' (1846) Nr. 2 p. 14. 15.

Postremus isdem fere usus argumentis rem uberrime tractavit Stille [1]), cuius dissertationem quaeso inspicias, si rem controversam accuratius cognoscere vis.

Qua in re mihi alia ratio videtur esse ineunda. Primum enim a monumentis, quippe quibus certissimis fundamentis quaestio nitatur, proficiscendum esse apparet. Deinde quaerendum est, quid imprimis Tacitus, ut auctor gravissimus, tradiderit, tum quid Dio, denique quid alii auctores veteres referant. Ita spero fore ut quaestio de origine legionis profligari et ad certum finem perduci possit.

Atque ut incipiamus a monumentis, primum haec legio commemoratur in tribus diplomatis militaribus [2]), quae et ad originem investigandam et ad tempora, quibus constituta sit legio, definienda eo maioris pretii sunt, quod et nomen imperatoris Galbae et consules et ipsum diem, quo veterani dimissi sint, inde discimus. Data sunt enim diplomata ante diem XI. Kal. Ian. C. Bellico Natale P. Cornelio Scipione Asiatico cos., i. e. die 22. m. Dec. a. p. Chr. nat. 68; iisque diplomatis „veterani, qui militaverunt in legione I. Adiutrice, et honestam missionem conubiumque et civitatem“ acceperunt. Exeunte igitur illo anno, quo Nero de salute desperans mortem sibi consciverat, et Galba ab exercitu imperator proclamatus erat, legionem I. Adiutricem iam exstitisse ex ipsis tabularum verbis cognoscimus. Ex eo autem quod Galba veteranis etiam civitatem dedit, efficitur, milites illis temporibus in legione stipendia merentes iuris peregrini fuisse. Sed cum omnes legionarios cives Romanos fuisse constet [3]), facere non possumus, quin Mommseni viri doctissimi sententiam sequamur putantis [4]) eadem aetate, qua veterani dimissi civitate donati sint, etiam eos, qui peregrini in legione retinebantur, civitatem Romanam esse consecutos.

1) Historia legionum auxiliorumque inde ab excessu divi Augusti usque ad Vespasiani tempora. diss. Kil. 1877. p. 112.

2) D. IV. et V. = III p. 847, 848; D. LIX. = Eph. epigr. II p. 456.

3) cf. Marquardt, ‘Röm. Staatsverw.’ II² p. 539, 540 adn. 8.

4) cf. CIL. III p. 907. — Ceterum cf. infra p. 19. adn. 2.

Quod si recte statutum est, duo inde efficiuntur: Primum intellegitur, tum demum, i. e. exeunte anno 68., primos milites legionis I. Adiutricis stipendiis absolutis missos, deinde legionem ex militibus, qui iuris peregrini erant, esse conscriptam. Itaque cum hos legionarios anno 68. honesta missione dimissos, priusquam legionem efficere iuberentur, iam auxiliaria stipendia meritos esse perspicuum sit, nihil quantum video obstat, quominus his solis diplomatis nisi contendamus, legionem I. Adiutricem anno 68. ex militibus, qui, quamquam iuris peregrini erant, tamen honoratiorem militiam assecuti erant, constitutam esse, id quod paulo infra aliis quoque argumentis demonstrabitur.

Atque inquirentibus nobis, ex quibusnam militibus et quonam principe legio creata sit, proficiscendum est ab eis verbis, quae et de cunctis rebus anno 68. gestis et de hac ipsa legione Tacitus memoriae prodidit. Nam quem locupletiorem auctorem Tacito inveneris? Qui iuvenis his ipsis temporibus atque perturbationibus imperii aut ipse intererat aut certe habuit fontes, ex quibus certissima posset singulis de rebus factisque haurire, qui neque usquam, quid legiones perfecerint, neglexit, et hac potissimum aetate totam rei publicae salutem in legionariis positam fuisse haud ignorabat. Secundo demum loco alios scriptores puto adhibendos esse sive Latinos, ut Suetonium, sive Graecos, ut Cassium Dionem et Plutarchum. Ex quibus alterum, quamvis haud ignarum rerum imperii Romani, quippe qui bis consulatu functus legatus provinciae Pannoniae fuerit, historiam tamen centum annis post scripsisse non neglegendum est; alterius quoque verba, etsi non ita multo post vixit, tamen ut hominis Graeci non idem valere atque Romani scriptoris inter omnes constat.

Quae cum ita sint, maxime dolendum est, quod illa Taciti operum pars, in qua de hac re scripserat, temporum iniquitate periit. — Initio autem historiarum Tacitus, priusquam destinata, ut ait ipse, componat, repetit, qualis status urbis fuerit, dicitque in capite 6 libri I: ‘inducta legione Hispana, remanente ea, quam e classe Nero conscripserat,

plena urbs exercitu insolito'. In urbe igitur, cum Galba eam intraret, tendebat una legio, alteram, Hispanam scilicet, imperator ex provincia secum adduxit.

Oritur hoc loco quaestio difficilis, quae fuerit illa legio 'Hispana'. Legionem Hispanam intellegendam esse legionem in Hispania ex incolis provinciae conscriptam, quis infitietur? Provinciae autem Tarraconensi Galba praefuit, antequam a militibus (legionis VI. Vict.) imperator salutatus est. Quare concludere licet illum, priusquam ex Hispania Romam proficisceretur, ut opes suas augeret, ex incolis provinciae sui studiosissimis novam creavisse legionem. Quam rem ita se habere testatur Suetonius (Galba 10) his verbis: 'e plebe quidem provinciae legiones et auxilia conscripsit super exercitum veterem legionis unius duarumque alarum et cohortium trium', ubi Suetonius in legionis voce plurali numero usus sine dubio rhetoricam hyperbolen adhibuit. Nam Tacitus et unam solam legionem Galbam introducentem facit neque alio loco alteram a Galba lectam esse commemorat. Atque hanc unam a Galba conscriptam legionem esse septimam ex eodem auctore comperimus [1]), qui in capite 11 libri I historiarum scribit: 'septuma a Galba conscripta' [2]), legionemque saepius 'septimam Galbianam' aut 'Galbianam legionem' nominat.[3]) Haec deliberanti dubium esse non potest, quin ea legio, quam Tacitus legionem Hispanam appellet, legio septima sit.

Sed eo iam unde digressi sumus, revertamur, nempe ad Taciti verba narrantis: 'inducta legione Hispana, remanente ea, quam e classe Nero conscripserat'. Itaque hic comme-

---

1) Idem Cassius Dio testatur, sed praeter septimam a Galba creatam esse dicit etiam legionem I. Adi. (in cap. 24 libri 55; cf. p. 10 adn. 2). Errare autem Dionem in hac re infra explicabimus.

2) Nomen quoque unius militis legionis VII. in Hispania a Galba dilecti Tacitus tradit (hist. III 25): 'Iulius Mansuetus ex Hispania, Rapaci legioni additus, impubem filium domi liquerat. Is mox adultus, inter septimanos a Galba conscriptus' et q. s.

3) Hist. II 86; III 7; III 10.

morat auctor praeter legionem Hispanam, id est septimam Galbianam, etiam alteram, quam dicit in urbe etiam post Galbae adventum remansisse. Sub ipsum igitur Galbae introitum Romae erant duae legiones. Sed non ita multo post Othone regnum appetente, in urbe unam tantum legionem castra habuisse ex capite 31 libri I historiarum apparet; idemque Tacitus in capite 44 utitur his verbis: 'praefixa contis capita gestabantur inter signa cohortium iuxta aquilam legionis'. Unde efficitur ante diem duodevicesimum Kal. Febr. [1]), quo die Galba ferro ictus periit, alteram earum legionum, quas Tacitus Romae remansisse dicat, Italiae finibus cessisse. Atque re vera legionem VII. medio mense Ianuario in Pannonia una cum tribus aliis legionibus [2]) tendentem invenimus. Itaque non sine veritatis quadam specie conicere licet, legionem VII. iam paulo post Galbae introitum urbe Italiaque relicta in Illyricum [3]) provinciam esse translatam.

Quod si recte est demonstratum, sequitur, ut ex legionibus, quae apud Tacitum initio historiarum memoratae sunt, altera sola diutius in urbe remanserit usque ad Galbae mortem et ultra; et sine dubio, si quid narrat Tacitus de legione in urbe tendente, quomodo rebus per hoc spatium temporis gestis interfuerit, semper eandem legionem dicit, quam, ut ipse initio pronuntiavit, e classe Nero conscripserat. Hanc vero legionem e classiariis lectam, postquam in capite 31 'legio classica', in capite 36 'classicorum legio' appellata est, paulo post Tacitus [4]) ipse 'legionem primam' vocat atque etiam in capite 43 libri II historiarum 'primam Adiutricem'. Classicam igitur legionem fuisse primam Adiutricem certissime affirmari potest, praesertim cum praeter locos modo laudatos etiam alio Taciti testimonio adiuvamur. An quisquam dubitat,

1) Tacit. hist. I 27.

2) Tacit. hist. II 11; II 67.

3) Ibi tetendit etiam initio aetatis Flavianae; ab eo autem tempore, quo partem reliquiarum legionum a Vespasiano exauctoratarum exceperat, cognomen ei erat 'Gemina'.

4) hist. II 11. 23. 24.

quin prima classicorum legio, quae in capite 67 libri II hist. commemoretur, eadem sit, quae in capite 44 libri III prima Adiutrix nominatur? Qua de causa equidem mihi persuasi legionem, quam Nero e classe conscripserat, fuisse primam Adiutricem.

Qua re cognita iam ea, quae supra disputata sunt, facile posse diiudicari apparet, legionem I. Adiutricem constitutam esse a Nerone ex militibus classiariis, paulo antequam diem supremum obiisset. Hinc igitur optime intellegitur, cur ii veterani, qui legione constituta primi missi sunt, praeter honestam missionem etiam civitatem acceperint; e classe enim, cuius milites libertinorum et peregrinorum ordine erant conscripti, ad honoratiorem militiam provecti erant. Tum ipsa hac re, quod haec legio praeter consuetudinem creata in urbe remanet [1]), et eam conscriptam esse turbulentis temporibus, quibus haud raro legibus usuque contemptis novae res moliebantur, indicatur, et sententia, quam supra laudavimus, fulcitur, eodem iam anno 68., quo veteranis primis honesta missio atque civitas data est, legionem constitutam esse.

At dixerit fortasse quispiam neque Dionem esse neglegendum, qui a Galba conscriptam esse legionem I. Adiutricem tradat, neque Suetonium Plutarchumque narrantes legionem, quam Nero e classe conscripserit, iussu Galbae urbem intrantis trucidatam esse.

Sane id quidem concedendum est Dionem [2]) testari a Galba legionem I. Adiutricem lectam esse. Sed audiendus est Tacitus, qui memoriae tradidit [3]) Neronem conscripsisse e

---

1) Legibus enim vetabantur legiones et in Italia et in urbe tendere. Itaque stativa instituta videmus, quibus milites procul ab urbe per provincias habebantur. Ab Septimii Severi aetate demum ille usus mutatur, cf. Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' II² p. 478 et p. 451 adn. 5.

2) C. Dio 55, 24: *ὁ Γάλβας τό τε πρῶτον τὸ ἐπικουρικὸν τὸ ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ κάτω καὶ τὸ ἕβδομον τὸ ἐν Ἰβηρίᾳ συνέταξεν.*

3) hist. I 6. — Dionem quidem, si his verbis: *ὁ Γάλβας τό τε πρῶτον τὸ ἐπικουρικὸν . . . συνέταξεν* Galbam conditorem legionis significat, in errorem ductum esse contendere possumus, propterea quod incertum est an, cum de origine legionis referre vellet, recordatus sit hanc legionem sub Galba primum rebus gestis interfuisse et ab eodem imperatore primos

classiariis legionem I. Adiutricem. Cuius verba si discrepant cum Dionis verbis, utrius testimonio maior fides tribuenda est? Dionis Graeci rerum scriptoris an Taciti Romani? Taciti, qui Neronis fere aequalis fuit, an Dionis, qui centum fere annis post natus est? Qua in optimorum auctorum discrepantia ad alios confugiamus rerum scriptores necesse est.

De rebus illorum temporum, quantum ad rem suam pertinebat, suo quisque more etiam Suetonius et Plutarchus scripserunt, quorum testimoniis ii, qui Dionis verba ad hanc quaestionem diiudicandam plurimum valere contendunt, utuntur, ut suam sententiam probabiliorem reddant. Censent enim legionem Hispanam (Tac. hist. I 6) eandem esse atque I. Adiutricem.[1]) Ac ne quis dicat, si ita res se haberet, duas legiones classicas Romae tum fuisse, affirmare student Neronis legionem classicam a Galba urbem intrante deletam esse. Itaque quamquam Taciti auctoritatem omnino non neglegunt, tamen aliter verba interpretantur ac nos. Atque ad suam sententiam comprobandam Plutarcho et Suetonio, ut dixi, quasi testibus gravioribus utuntur. Sed ipsa auctorum illorum verba apponere liceat:

---

huius legionis veteranos esse missos. Sin autem rem isto modo se habere negamus et Dionis tetimonio utique fidem attribuere volumus, eodem iure confirmaverit quispiam Othonem legionem I. Adi. conscripsisse loco Plutarchi in vita Othonis nisus, ubi in cap. 12 traditur: *ἡ δὲ Ὄθωνος βοηθός.*

1) Grotefend imprimis cum legionem I. Adi. a Galba in Hispania conscriptam esse ex militibus classiariis, qui a Nerone contra Galbam missi ad eum defecissent, contendat (cf. Dio 63, 27: *Νέρων ἐπ' ἐκείνους* (sc. Galbam et Rufum) *Ῥοΐβριον Γάλλον καὶ ἄλλους τινὰς ἔπεμψεν*), non recte disputasse videtur. Nam etsi concedendum est res, quae in Hispania gesta sunt, ad classem Misenensem pertinuisse (cf. Veget. 4. 31, cuius verba in adn. 1. p. 19. laudantur), tamen equidem non intellego, qui factum sit, ut tot classici milites in Hispaniam venerint, quot ad legionem constituendam necessarii erant, et naves quoque suum numerum haberent. Etiam quod Grotefend Annium quendam primum legatum legionis fuisse, et classiarios comitatui quoque Galbae, cum Romam peteret, interfuisse sentit, falsis lubricisque fundamentis nititur vir doctus. Longum est, omnia haec singillatim refutare, praesertim cum Stille (cf. p. 6 adn. 1) uberius his de rebus disseruerit, quem quaeso inspicias.

Suet. Galba 12.

Ea fama (sc. saevitiae) et confirmata et aucta est, ut primum urbem introiit. Nam cum classiarios, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret, recusantes atque insuper aquilam et signa pertinacius flagitantes non modo immisso equite disiecit, sed decimavit etiam.

Plut. Galba 15.

Ἐπεὶ δὲ προσιὼν ἀπεῖχε τῆς πόλεως περὶ πέντε καὶ εἴκοσι σταδίους, ἐνετύγχανεν ἀκοσμίᾳ καὶ θορύβῳ τῶν ἐρετῶν τὴν ὁδὸν προκατεχόντων καὶ περικεχυμένων πανταχόθεν. Οὗτοι δὲ ἦσαν, οὓς εἰς ἓν τάγμα ὁ Νέρων συλλοχίσας ἀπέφηνε στρατιώτας. καὶ τότε .... ἐθορύβουν βοῇ σημεῖα τῷ τάγματι καὶ χώραν αἰτοῦντες. Ἐκείνου δὲ ὑπερτιθεμένου .... ἠγανάκτουν καὶ προείποντο μὴ φειδόμενοι βοῆ. Ἐνίων δὲ καὶ τὰς μαχαίρας σπασαμένων, ἐκέλευσε τοὺς ἱππεῖς ἐμβαλεῖν αὐτοῖς ὁ Γάλβας. Ὑπέστη δὲ οὐδεὶς ἐκείνων, ἀλλ᾽ οἱ μὲν εὐθὺς ἀνατραπέντες, οἱ δὲ φεύγοντες διεφθάρησαν.

Apud Suetonium igitur legimus classiarios, qui iusti milites a Nerone facti erant, a Galba urbem intrante trucidatos atque decimatos esse. Contra Plutarchus, quem auctoris Romani memoriam secutum esse per se consentaneum est, his verbis utitur: (*ἐρέται*) *οὓς εἰς ἓν τάγμα ὁ Νέρων συλλοχίσας ἀπέφηνε στρατιώτας.* Illud quidem *ἐρέτας ἀποφαίνειν στρατιώτας* idem certe declarat, quod Latine ‘iustos milites facere classiarios’. At *εἰς ἓν τάγμα συλλοχίζειν* quid significat? Nonne hoc loco Plutarchus dicit de legione Neronis? Sane concedendum est vocem *τάγμα* significare legionem, cum idem scriptor v. Otho. 12 referat: *λεγεῶνες*] *οὕτω γὰρ τὰ τάγματα Ῥωμαῖοι καλοῦσιν.*

Scriptores igitur cum de re consentiant, de condicione militum interfectorum ambigere videntur. Etenim si illis verbis

εἰς ἓν τάγμα συλλοχίσας omissis Plutarchi testimonium cum Suetonii comparamus, illi optime inter se consentiunt: utrumque enim scriptorem elucet tradere Galbam in classiarios (*ἐρέτας*), qui ab eo aquilam et signa petebant, gravissime consuluisse, ita ut equitibus in eos immissis plerosque trucidaret. Hac ipsa computatione eo adducimur, ut Plutarchum, quem ignarum rei militaris Romanae, ut hominem Graecum, fuisse constat, hac in re erravisse credamus. Quae sententia confirmatur deliberantibus nobis milites, qui Galbae obviam iverunt, aquilam et signa flagitasse. Nam si aquilam non habebant, legionem omnino non effecerunt.

Iam quaeres, quomodo factum sit, ut Plutarchus in tantum errorem raptus sit. Qua in re maxime adiuvamur illis Taciti verbis (hist. I 87): 'Otho .... Narbonensem Galliam adgredi statuit classe valida et partibus fida, quod reliquos caesorum ad pontem Mulvium et saevitia Galbae in custodia habitos in numeros legionis composuerat'. —

Quod cum hoc quoque loco de militibus classiariis agatur, respiciendum est ex eis legionem non creatam, sed eos in numeros legionis esse compositos. Atque erga classiarios Othonem ita se gessisse veri est simillimum, propterea quod Nero, quem ille in omnibus rebus et publicis et privatis imitabatur [1]), idem fecerat, ut non sit dubium conicere Neronem quoque eos classiarios, qui legione classica constituta supereessent, in numeros [2]) legionis composuisse, ita ut iusti milites, i. e. legionarii fierent.

Quare Plutarchum eiusmodi aliquid de numeris legionis, quos Nero e classiariis creavit, apud eum auctorem, quem secutus est, scriptum invenisse putamus [3]); sed scriptor Graecus ea verba haud recte interpretatus hos classiarios eosdem intel-

1) cf. p. 17. adn. 1. et p. 18. adn. 1.

2) cf. Tacit. hist. I 6, ubi vexillationes legionum Germanicarum et Illyricarum numeri vocantur.

3) haec fere: (classiarii) quos in numeros legionis Nero composuerat itaque milites iustos fecerat. — Fortasse haec omnia: '*οὗτοι δὲ ἦσαν, οὓς εἰς ἓν τάγμα συλλοχίσας ἀπέφηνε στρατιώτας*' Plutarchus sua sponte supplevit, quo facilius a legentibus res intellegerentur. Primo enim obtutu

lexisse videtur, ex quibus Nero legionem classicam conscripserat.

Persuasum igitur habeo Suetonium et Plutarchum minime inter se discrepare, qui classiarii a Galba interfecti sint. Quin etiam excepto illo loco, quo Plutarchum, quae diversis locis in fonte suo Latino scripta erant de militibus classiariis, confudisse statuimus, tantus consensus scriptorum apparet, ut hoc loco eos ex eodem fonte hausisse [1]) negari vix possit.

Accedit, quod etiam Tacitus, testis illorum temporum gravissimus, nihil tradit legionem Neronis classicam esse deletam. Primum quidem magnum numerum inermium vel innocentissimorum militum a Galba trucidatum esse in universum refert his locis: hist. I 6: (Galbae) 'introitus in urbem trucidatis tot milibus inermium militum infaustus omine', et hist. I 37: (Galba) 'qui nullo exposcente tot milia innocentissimorum militum trucidaverit'. Deinde diligentissime distinguit inter legionem classicam, i. e. primam Adiutricem, et milites classiarios his verbis (hist. I 31): 'legioni classicae diffidebatur infestae ob caedem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba'. Unde patet Tacitum accurate discernere inter legionem classicam et alios classiarios, qui nondum legionem efficiebant.

Quibus perspectis plane absurdum est legionem, quam Nero e classe conscripserat, Galbae obviam ivisse contendere. Nam cum Tacitus ingentem numerum militum occisum esse

---

videbis ea verba ex ceteris ita eminere, ut eis scriptor ordinem, quo res gestas perscribit, interrumpere videatur, cum inde a particula καὶ res ordine narrare pergat. Quare haud scio an ea omnia, ut scriptoris additamenta in hac quaestione neglegenda sint. — Quae si recte disputata sunt, illud verum esse denuo confirmatur Plutarchum eiusmodi verbis interpositis causas rerum non modo non optime explicare, sed etiam saepe obscurare.

1) Haud semel comprobatum est Suetonium et Plutarchum (itemque Tacitum) in rebus enarrandis eundem auctorem secutos esse, ut primo a viro doctissimo Peter in libro, qui inscribitur: 'Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer' p. 28ff., cui etiam Mommsen assentitur: Herm. IV p. 323 adn. 3.

tradat, Dio [1]) apertis verbis septem fere milia militum interfecta esse testatur. At legio ipsa ex quinque vel maxime sex milibus peditum constabat. Qua ipsa de causa ii, qui signa a Galba petebant, milites legionis Neronis classicae non intellegendi sunt, nisi forte quis putat fieri posse, ut septem milibus militum occisis tamen legio permaneat.

Sed quid ego de numero caesorum militum loquor? Reliquos, qui caedem effugerant, Galbam in vincula coniecisse Tacitus illo loco, quem supra p. 13. attulimus, refert.

Quae cum ita sint, ubi, quaeso, classiarri legionis fuisse existimandi sunt, — quam etiam, postquam Galba urbem ingressus est, Romae remansisse Tacitus testatur, — si revera Galbae restitissent itaque tam crudeliter puniti essent! Ergo totius de qua agimus rei cardo in eo vertitur, ut praeter legionem classicam, 'quam e classe Nero conscripserat', etiam magnum aliorum classicorum numerum in urbe fuisse eo tempore, quo Galba urbem intraret, concedatur. Quod quam verum sit, ut plane perspiciatur, videamus, quo tempore et qua de causa classiarii in urbem exciti sint.

Cum igitur Romam nuntiatum esset defecisse Galliam et Germaniam, descivisse Hispaniam, hic Galbam a militibus imperatorem appellatum esse, illic Vindicem tumultum movere ac Rufum principatum appetere, tum demum Nero copias comparare coepit [2]), quarum auxilio imperium obtineret. Quare primum vexillationes legionum Germanici et Illyrici exercitus, quae ad bellum, quod contra Albanos paraverat, navibus classis Ravennatis praemissae erant [3]), quam celerrime reportari iussit. Deinde cum praeter cohortes praetorias et urbanas nullae

1) C. Dio (epit.) 64, 3: ... *εἰς ἑπτακισχιλίους ἀπέθανον, οἱ δὲ καὶ μετὰ τοῦτο δεκατευθέντες.* Quo loco iterum errat Dio narrans milites interfectos praetorianos fuisse. Sed fortasse Xiphilini, qui historiam Dionis, ut hoc verbo utar, epitomavit, aut librarii culpa factum est, ut praetoriani pro classiariis hoc loco appellati sint.

2) Cassius Dio 63, 27.

3) cf. Tacit. hist. I 6: 'multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis coeptis revocaverat'.

legiones in Italia praesto essent, quas auxilio vocaret, milites classis Misenensis [1]) arcessivit, ut nutantem rem publicam stabilirent. Sed hoc cave, ne nimis mireris, quod imperator ad classiarios confugit et tam benignum erga eos se praestitit. Nam classes Italicae et sub imperio ipsius imperatoris erant, et milites classici Neronis familiaritate praecipue utebantur, praesertim cum eum ‘peregrinantem aut Campaniae urbes adeuntem’ navibus comitari consuevissent. Itaque Nero eos firmissima praesidia imperii in eo discrimine rerum futuros esse ratus Romam [2]) excitos ad legionariam militiam promovit. Quin etiam legionem e classe principem conscripsisse ex Taciti verbis (hist. I 6.) apparet. Et ex eo, quod legioni ipse numerus ‘primus’ impositus est, efficitur Neronem plures legiones e classe constituere intendisse. Sed imperatori conficere, quae parabat, fato non licuit: rebus adversis eo adductus est, ut omni spe abiecta imperii obtinendi vita se ipse privaret.

Quo factum est, ut Nerone mortuo in urbe et legio classica et ii classiarii versarentur, qui in numeros legionis compositi (cf. p. 13.) iusti milites erant. Sed cum legio ipsa nihil haberet, quod Galbam precibus adiret, alios milites sibi suisque rebus timuisse consentaneum est. Nero enim patronus imperium vitamque amiserat, Galbae senatus imperium ac diadema detulerat. Ergo nullo bello instante classiarii veriti, ne Galba ad naves militiamque, quas consueverant, remitteret, ad pontem Mulvium Galbae obviam iverunt flagitantes, ut imperator aquila et signis datis in legionis formam se componeret. Quibus precibus tantum afuit, ut Galba indulgeret, ut contra equites in eos immitteret. Itaque partim caede deleti sunt, partim vitam miserrimam in carceribus trahebant, quoad Otho eos vinculis liberavit.

---

1) Classis Ravennatium — ad eam enim Asia pertinebat — tota in vexillationibus transvehendis occupata fuisse videtur, ut milites ex ea nulli Romam transferri possent.

2) cf. Veget. 4, 31: ‘Apud Misenum igitur et Ravennam singulae legiones cum classibus stabant, ne longius a tutela urbis abscederent’ (cf. p. 19. adn. 1).

Quibus rebus bene expensis nemo dubitabit, quin milites a Galba necati illi classiarii fuerint, qui legione a Nerone creata in urbe superfuerint; ex quo intellegitur ea, quae veteres auctores de classicorum caede referunt, non ad legionem, 'quam e classe Nero conscripserat', pertinere.

Quoniam igitur Plutarchi Suetoniique verba apta non sunt, quibus Dionis testimonium confirmetur, ab hac parte Taciti verba, ab illa parte Dionis ponderanda sunt. Quae cum ita sint, facile mihi videtur diiudicare, utrum auctorem sequamur. Ac profecto Taciti verba plus auctoritatis apud nos habere oportet quam Dionis; accedit, quod Suetonius et Plutarchus cum Taciti testimonio adeo non repugnant, ut optime consentiant.

Itaque utri principi legio I. Adiutrix originem debeat, non iam in dubium vocatur, cum pateat Neronem legionem conscripsisse. Dionem autem a Galba hanc legionem constitutam esse arbitrantem erravisse pro certo demonstrasse mihi videor. Haec sententia confirmatur, si res per hoc temporis spatium gestas contemplamur. Ab initio 'legioni classicae diffidebatur infestae ob caedem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba.' (Tac. hist. I 31. cf. p. 14.) Deinde cum non ita multo post imperio ad Galbam translato praetorianorum fides labaret, etiam legio I. Adiutrix cum seditiosis militibus se coniungere non dubitavit itaque Galba vivo in partes Othonianorum transgressa est. Quam ingratum factum, si a Galba ipso creata esset!

Contra si a Nerone legionem conscriptam esse persuasum habemus, facile causas rerum illarum cognoscimus. Othonem enim, cum alter Nero haberetur [1]), etiam in re publica ad-

1) cf. Plut. Otho 3: *τοῖς δὲ πολλοῖς χαριζόμενος οὐκ ἔφευγε τὸ πρῶτον ἐν τοῖς θεάτροις Νέρων προσαγορεύεσθαι· καὶ τίνων εἰκόνας Νέρωνος εἰς τοὐμφανὲς προθεμένων, οὐκ ἐκώλυσε.* — Tacit. hist. I 13: ... 'faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis ut similem.'

ministranda vestigiis eius ingressurum esse milites sperabant[1]); eadem sententia legionem quoque Adiutricem fuisse veri est simillimum. Iam vero Galbae, quod summa crudelitate adversus commilitones saevierat, milites legionis vehementer suscensuisse constat. Quamobrem haec legio, quae ob id ipsum, quod a Nerone conscripta erat, eius familiarissimo magis favebat quam Galbae, una cum praetorianis defecit atque in Othonis partes transiit, cui semper fidem praestabat et in omni fortuna comes erat.

Haec omnia reputantibus nobis id concedendum est propter eas res, quae paulo ante Galbae interitum et post gestae sint, nullo modo Galbam huius legionis conditorem haberi posse. Quamobrem maneat illud atque fixum sit legionem I. Adiutricem anno 68. a Nerone esse constitutam.

Proximum est, ut doceam, ex qua classe Nero hanc legionem creaverit. Quam quaestionem, cum minoris momenti esse videatur, paucis absolvam. Etenim cum duae classes praetoriae, Misenensium et Ravennatium essent, quaeritur, ex utra classiarios Nero ad legionem constituendam exciverit. Ut verum eruamus, legionem I. et II. Adiutrices inter se comparare liceat[2]), cum Tacitus semper in universum de classe loquatur. Legionem quidem II. Adiutricem extremo anno 69. e classicis Ravennatibus conscriptam esse Tacitus testatur (hist. III 50) his verbis: 'ad has copias e classicis Ravennatibus, legionariam militiam poscentibus, optimus quisque adsciti: classem Delmatae supplevere.' Quo loco id potissimum plurimum valet, quod honoratiorem militiam classiarii efflagitaverunt, quasi promissum aliquando eis esset aut id, quod classicis Misenensibus attributum esset, eis detrectari non deberet.

---

1) cf. Tacit. hist. II 11: . . . 'et praecipui fama quartadecumani rebellione Britanniae compressa. Addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos, unde longa illis erga Neronem fides et erecta in Othonem studia.' Id. hist. II 25: 'Erant, quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiae accenderet.'

2) De utraque legione Adiutrice idem valere accuratius infra p. 21. demonstravi.

Sed id quod per se summa probabilitate commendatur classem Misenensem ipsam quoque legioni I. Adiutrici milites praebuisse, id etiam confirmatur deliberantibus nobis — quod supra p. 16 adumbravi — naves classis Ravennatis eo tempore, quo Nero classiarios, ut urbs Italiaque in eorum tutela esset, Romam arcessebat, transvehendis vexillariis legionum Germanicarum et Illyricarum occupatas afuisse.

Adde locum illum Taciti (hist. I 87. cf. p. 13), quo milites classis Misenensis [1]) ab Othonis partibus stetisse ille tradit, propterea quod Otho commilitones eorum e custodia dimissos in numeros legionis composuisset. Iidem autem classiarii erant commilitones legionis I. Adiutricis. Nulli igitur nisi Misenensis classis milites anno 68. in urbem venerunt ibique iusti milites facti sunt. Quibus expositis legionem I. Adiutricem ex classicis Misenensibus solis creatam esse existimo.

Restat, ut refellamus, quod aliquis contra me dicere potest Mommseni [2]) sententia fretus, quem plurimi viri docti secuti sunt, censentis I. Adiutricem, ut Neroni originem debuerit, iustam legionem benevolentia Galbae imperatoris factam esse, quippe qui ei aquilam et signa dedisset. Equidem ab omni probabilitate abhorrere puto Galbam, qui tam crudeliter in classiarios consuluerat, subito eorum commilitiones beneficiis

---

1) Nam quamquam Tacitus eam aperte non nominat, tamen nulla alia nisi classis Misenensis intellegenda est, quod contra Galliam Narbonensem mittebatur, quam provinciam ad Misenum spectare constat. Cf. Veget. 4. 31: 'Apud Misenum igitur et Ravennam legiones cum classibus stabant, ne longius a tutela urbis abscederent; et cum ratio postulasset, sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes navigio pervenirent. Nam Misenatium classis Galliam, Hispanias, Mauretaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Ravennatium Epiros, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa navigatione consueverat.'

2) cf. CIL III. p. 907: . . . 'docemurque iam hisce tabulis paucis ante mortem diebus civitatem, quam a Nerone iure datam esse negabat (sc. Galba), ipsum iis qui vicena stipendia emeruissent concessisse; unde dubitari non potest et legioni tum aquilam datam esse et iis qui classicorum in ea retinebantur item civitatem.'

affecisse. Immo ut classicis militibus, ita classicae legioni eum non favisse veri simillimum est, praesertim cum Neronis studiosissima fuisset. Sed quod tum nusquam bellum imminere videbatur, secundum legem usitatam veteranos eius dimisit. Iam vero argumentatio supra proposita in eo nititur, quod, cum Galba urbem iniret, ibi fuisse statuimus et legionem classicam et multos alios classiarios, qui in legionem non coacti aquilam postulabant. Quodsi ii tantum classiarii, qui in legione a Nerone conscripta non militabant, adducti sunt, ut Galbam eiusmodi precibus adirent, legionem ipsam signa tum habuisse negari non potest. Itaque vel hac deliberatione nos commoveri concedes ut legionem, quo tempore creata sit, statim signis et aquila donatam esse credamus. Nobis igitur persuasum est eundem principem, qui legionem creavit, nempe Neronem, aquilam quoque ei dedisse.

2. De nominibus numeroque legionis.

Initio Taciti historiarum legio I. Adiutrix saepe classica aut prima classicorum vocatur, quae cognomina quid significent explicare non opus est. Primo enim obtutu ea ad originem legionis spectare intelleges; atque re vera eiusmodi origini optime nomina illa conveniunt.

I. Proprium autem et quasi nativum est huic legioni nomen Adiutrix, cuius significatio adhuc nondum constare videtur, quamquam hanc legionem peculiari condicione usam esse dudum cognitum est.[1])

1) Vox ipsa ab adiuvando aliquem ductam esse puto; inde ea vis vocabuli profecta est, quae aliquem significat, qui alicui subvenit in officio aut ipse alicuius munere fungitur. Cf. Ruggiero 'Diz. epigr.' I. 79; Cichorius in 'Paulys Real-Encyclop.' I² p. 366 s. v. Adiutrix. — Haec nominis vis confirmatur titulis III 1471: P. Ael. Sept. Audeo. qui et Maximus vet. ex ℸ n. P. O. vixit. ann. LX Ael. Sept. Romanus. mil. leg. XIII. G. Aiut. offic. cornicul. et Septimia Septimina et q. s. — VI 2168: D. M. Cn. Iuli. Cn. fil. Donati Prisci ex equo. public. adiutoris haruspicum imperatoris pontificis Albani. — Multa varia exempla affert Habel in 'Paulys Real-Encyclop.' I² p. 364 s. v. Adiutor.

Sed ut enucleetur, quid sibi velit nomen legionis Adiutricis, iterum legionis II. Adiutricis ratio habenda est. Etenim quod altera legio classica eodem cognomine insignita est, sequitur, ut id cognomen ad eam condicionem pertineat, in qua utraque legio vixdum conscripta erat, quae cum ceterarum legionum condicione comparari non poterat. Nam hae legiones e classe oriundae, quarum primi milites iuris peregrini essent, initio ob eam ipsam causam non pares erant ceteris legionibus, quare Adiutrices appellabantur, ut cognomen virtute belli partum non esse satis appareat.

Adiutricem ergo eam legionem intellegimus, quae e classicis constituta tumultuosis temporibus subsidii causa ceteris legionibus addita est. Nominis igitur vis et notio, si in nostrum sermonem convertere vis, est 'Aushülfslegion' aut 'Reservelegion'.[1])

Ad quam interpretationem optime convenit, quod legionem inde ab initio Adiutricem appellatam esse constat. Quo fit, ut etiam nominis vis et origo ad eum principem spectet, qui legionem creavit, ad Neronem. Is igitur huic legioni nomen Adiutricis imposuit, propterea quod, cum necessitas valde urgeret, eius milites e classe in urbem vocaverat, quorum auxilio ad principatum obtinendum uteretur.

Item numerus primus ad conditorem legionis spectat. Nam hoc ipso numero Nero eam signavit, quod duas vel complures legiones e classiariis conscribere in animo habebat. Sed omnia consilia mors pervertit.

II. Alterum cognomen, quod in multis legionis titulis una cum Adiutrice coniunctum neque unquam sine hoc occurrit, est illud honorificum P. F. i. e. pia fidelis. Sic appellatas esse eas legiones per se apertum est, quae aliquando quovis modo erga imperatorem pie ac fideliter se gesserant; atque amplissimam pietatem et fidelitatem praestandi occasionem legiones certe nanciscebantur, si aliis legionibus seditiosis et

1) Qua de re quod consentio cum viro doctissimo Keller valde gaudeo cf. 'Westd. Zeitschr.' IV p. 6.

contra imperatorem rebellantibus pio fidelique animo resistebant.[1])

Iam quo tempore et qua in provincia legioni facultatem oblatam esse arbitramur, ut tanto honore digna haberetur? Atque cognomen quidem in duobus titulis Apuli repertis III. 1004. 1008 (= n. 47. 48) occurrit, quos inter annos 107. et 114. positos esse constat. His igitur titulis, de quibus infra accuratius disputavi, hanc legionem illo religionis et fidei praemio post Traiani bella Dacica exornatam fuisse evincitur.[2])

Temporum autem bellis Dacicis antecedentium nullus usquam titulus exstat, in quo illud honorificum P. F. inveniatur. Nam in omnibus titulis aetatis Germanicae — Hispanicae nulli adhuc exstant — legio simpliciter I. Adiutrix appellatur, ut in illo potissimum Q. Attii Prisci tribuni militum legionis V. 7425 (= n. 13), qui ab imperatore Nerva dona militaria bello Suebico accepit; cuius tituli annum, quo exaratus sit, artissimis terminis circumscribere licet. Etenim quod Nerva imperator et Germanicus cognominatus neque inter divos receptus est, titulum inter finem anni 97. et diem 27. mens. Ian. anni 98. dedicatum esse efficitur. Itaque patet ne post annum 89. quidem, quo seditio Antonii compressa est, eo cognomine legionem decoratam fuisse.

Atque inter annos 69. et 107. nullum bellum exarsisse con-

---

1) Postquam Aemilius Ritterling (p. 10) argute iam explicavit, quaenam insit cognomini P. F. vis et origo, quando potissimum tali fidei et religionis praemio legiones decoratae sint, hanc quaestionem nuperrime tractavit Otto Schilling l. l. p. 6.

2) Cum titulus Hispanicae aetatis nullus adhuc repertus sit — ii enim, quos Hispania provincia protulit, posteriorum temporum sunt — Germanicorum tantum titulorum ratio habenda est, quorum nullus eius cognominis notis signatus est. Sed ea quoque aetate, qua provinciae Hispaniae imposita erat, legionem hoc honore ornatam non fuisse nostro nos iure arbitramur, cum cognomen tam honorificum brevi tempore post honorem acceptum intermisso certe in titulis legionum non omittatur, immo summa diligentia poni soleat, ut dubium non sit, quin si antea legio eo exornata fuisset, cognomen etiam in titulis aetatis Germanicae non desideraretur.

stat, in quo occasio fidei servandae legionibus data erat, nisi seditionem Antonianam. Sed cum appareat hanc legionem in ea seditione ita esse versatam, ut Antonium rerum novarum cupidum oppressura ex Hispania venerit, mirum est, quod nihil est traditum de praemio, quo ob fidem et sacramentum servatum ab imperatore ornata sit, quamquam, ut Ritterling et Schilling opinantur, ob eandem causam cognomen P. F. totus Germaniae inferioris exercitus accepit, qui quas partes in seditione egerit, spissa adhuc caligine obvolutum est.

Sed cum praeter seditionem Antonii Saturnini nullam aliam occasionem pietatem fidemque manifestandi per id spatium temporis invenire possimus, meris coniecturis omissis concedendum est plane ignorari, quo tempore, a quo principe grato et beneficii memore, quam ob rem fideliter gestam legio cognomen P. F. acceperit, atque hoc tantum affirmandum usque ad annum 98. legionem hoc honore decoratam non fuisse.[1])

III. Pro cognomine P. F. praebet unus titulus III. 4300 (= n. 57.) compendium CONS, quod Constans intellegitur. Hoc autem cognomen, quo legionem aliquando constanter aliquid gessisse praedicatur, quo tempore, quo facto legio sibi pepererit, incertum est; id tantum apparet eam initio saeculi tertii hoc cognomine exornatam fuisse, cum titulus Deo Soli Alagabalo dedicatus post Caracallae demum aetatem exaratus sit.

Sed cum cognomen Constans semel tantum occurrat, honorificum illud P. F. saepissime in titulis sacris, in cippis

---

1) An vero putas illum temporum posteriorum abusum exeunte primo saeculo receptum fuisse? Postea enim legiones propter res in bello sive intestino sive externo bene et fortiter gestas illo praemio decorari solebant. Quodsi vero ad hanc quoque legionem quadraret, coniciendum erat legionem eum honorem bello Dacico priore aut posteriore sibi peperisse. Sed usque adhuc manet id quod Aemilius Ritterling et Otto Schilling statuerunt per primum post Christum natum saeculum significationem cognominis P. F., qui erat rarissimus illius aetatis ornatus, propriam conservatam esse. Ergo in medio relinquamus, quae fuerit causa huic legioni cognominis P. F. addendi.

sepulcralibus, in tegulis invenitur.[1]) Etiam in eodem titulo idem cognomen legioni saepius additum est, ut bis in tit. III. 4300 (= n. 57), et quinquies vel sexies vel septies in nummis, quos Gallienus in hanc legionem cudit.[2])

IV. Sed tamen inde a Caracallae temporibus is usus irrepsit, ut legiones ab imperatoris nomine gentilicio cognomen sumerent. Ea cognomina ab imperatore petita collata sunt in indice cognominum legionis I. Adiutricis.

Priusquam ad ipsam historiam enarrandam progrediamur, iam pauca verba faciam

3. De origine militum legionis I. Adiutricis.

Quandoquidem Mommsenus accuratissime disseruit[3]), quinam omnium legionum dilectus aetate imperatoria fuisset, quaeritur, quantum ea, quae in universum de origine militum legionariorum dixit vir doctissimus, ad hanc legionem pertineant. Quae cum medio primi p. Chr. n. saeculi aevo constituta sit, ea omnia, quae in ceteris legionibus valeant, in hac non valere manifestum est. Iis enim temporibus usus ille praevaluit, ut non modo Itali, sed etiam provinciales iique ex Illyrico potissimum orti exercitum complerent. Quo fit, ut in titulis huius legionis sepulcralibus, qui non ita multi in castris Mogontiacensibus exstant, unum Italum (sc. Teanensem), quattuor milites ex Pannonia et quinque ex Delmatia oriundos habeamus[4]), ut coniciendum sit legionis supplementa statim a primordiis dilecta esse ex illis potissimum regionibus

1) cf. ind. cognominum leg. I. Adi.

2) cf. Cohen V p. 386 (n. 443—452).

3) cf. Hermes XIX. 1. sqq. et Eph. epigr. V p. 198—231, ubi etiam patrias militum singularum legionum collegit.

4) Originem exhibent tituli Bramb. 1091, 1143, 1146, 1288 (= n. 30, 31, 32, 33) Savariam (Pann.), Bramb. 1142, 1144, 1145, 1147 (= n. 34, 35, 36, 37) Aequum (Delm.), Bramb. 1141 (= n. 38) oppidum Iader (Delm.), Teanum ‘Beckers Katalog des Mainzer Museums 1. Nachtrag’ 140[a] (= n. 40). — Praeterea unus Thrax ex oppido Apro oriundus occurrit in tit. Bramb. 938 (= n. 39).

ad Danuvium et Dravum flumina sitis, quae per totam aetatem imperatoriam semper dilectum legionarium aut auxiliarium admiserunt amplissimum.

Quod quidem cum nuperrime Domaszewskius [1]) negaverit, eius sententiam reicere cogor, praesertim cum aliud quoque haud recte definisse videatur. Putat enim Vespasianum, cum civitatem militibus legionis II. Adiutricis e classe Ravennate ortis daret — quae classis e Pannonia et Delmatia supplebatur (Tacit. hist. III 12) — simul statuisse, ut oppido iuris Romani in Pannonia aut Delmatia sito origine uterentur, itaque omnibus Pannoniis Claudiam Savariam, quae tum urbs civitate Romana ornata una in Pannonia esset, pro origine donavisse; quam ad rationem optime quadrare, quod etiam cippi sepulcrales legionis I. Adiutricis Mogontiacenses Claudiam Savariam originem exhiberent. Neque tamen ullo modo fieri posse, ut provincias Pannoniam et Delmatiam Flaviorum temporibus legioni I. Adiutrici legionarios praebuisse quisquam contendat. Contra quam sententiam haec dicenda sunt:

Primos quidem milites, e quibus legio conscripta est, ut e classiariis Misenensibus accitos [2]), eiusdem originis fuisse, cuius milites classis Misenensis, per se consentaneum est. Sed quod gravissimum est, neque illi classiarii neque primi huius legionis milites ex eadem provincia dilecti erant, e qua classis Ravennatium milites habebat: aliae provinciae classi Ravennati, aliae classi Misenensi dilectum admiserunt. Qua de re cum ambigatur, ne ullus scrupulus resideat, haud alienum esse puto hoc loco exponere, e quibusnam militibus utraque classis praetoria constiterit.

Classis igitur Ravennatium maxima pars militum anno 69. erant Pannonii et Delmatae [3]), qui libentissime ad Vespasianum transgressi esse traduntur, propterea quod eorum patriae ab

1) Mus. Rh. 46. p. 602 (adn. 3).

2) cf. supra p. 18 et 19.

3) cf. Tacit. hist. III 12: 'Lucilius Bassus classis Ravennatis praefectus ambiguos militum animos, quod magna pars Delmatae Pannoniique erant, quae provinciae Vespasiano tenebantur, partibus eius adgregaverat.'

illius partibus starent. Quin etiam eodem anno, quo talem fuisse classis statum Tacitus testatur, sex milia Delmatarum classem Ravennatem, postquam ex eius militibus legio II. Adiutrix constituta est, supplevisse ab eodem auctore discimus.[1]) Vespasiani igitur temporibus classis Ravennatium milites natione Illyrici erant. Eiusdem originis etiam posterioribus temporibus milites eiusdem classis maxima ex parte fuisse colligi potest ex titulis sepulcralibus, qui manibus classiariorum dedicati sunt. Quod quo facilius perspiciatur, tabulas nationum classiariorum composui, eorum videlicet tantum, qui patriam disertis verbis enuntiant.

In classe igitur Ravennatium militabant:

Pannonii[2])	7 = 10,9 %	} 49,9 %	
Delmatae[3])	25 = 39 „		
Sardi[4])	2 = 3 „	} 6 %	
Corsi[5])	2 = 3 „		
Germani[6])	3 = 4,5 „		
Bessi[7])	6 = 9 „		
Graeci[8])	3 = 4,5 „		
Bithyni[9])	3 = 4,5 „	} 15 %	
Cilix[10])	1 = 1,5 „		
Suri s. Syri[11])	6 = 9 „		
Aegypti[12])	4 = 6 „		
Libyci[13])	2 = 3 „		

1) hist. III 50 (cf. p. 18): Sex enim milia Delmatarum, 'recens dilectus', una cum undecima legione ex Illyrico contra Vitellianos adducta erant.

2) VI 3156. XI 33. 39. 72. 97. 340. D. VIII.

3) VI 3149. X 3486. XI 44. 53. 54. 68. 69. 71. 76. 85. 89. 90. 98. 100. 104. 108. 118. 343. 349. 3530. 'Notizie d. Scavi' 1890 p. 380. 'Mitt. d. arch. Inst. (Röm. Abt.)' 1891 p. 337. XI 104 (Liburnus). D. VI. D. VII.

4) XI 113. X 3645. 5) II 4063. XI 109.

6) XI 95. 99. XI 42 (Camunnus).

7) III 557. XI 47. 58. 82. 87. 103.

8) XI 60. 122. Notizie d. Scavi 1892 p. 78.

9) XI. 52. 70. 105 (Nicom.). 10) XI 110.

11) VI 3151. XI 26. 36. 43. 56. 352.

12) VI 3159. 3162. XI 29. 94. 13) X 3527. XI 92.

Itaque videmus 49,9 % vel circiter 50 % militum huius classis, quorum natio in cippis indicatur, ex Illyrico ortos fuisse. In tanta multitudine classiariorum Delmaticae Pannonicaeque nationis nihil valet numerus classicorum, qui alius originis sunt, ut Sardorum et Corsorum = 6 %, Aegyptorum = 6 %, Bithynorum Cilicum Syrorum = 15 %, quorum summa etiam multum ab illis abest.

Attamen longe alia est ratio nationum militum, qui in classe Misenensi stipendia merebant; sunt enim:

Pannonii[1])	7 = 3,5 %	} 9 %	
Delmatae[2])	11 = 5,5 „		
Sardi[3])	18 = 9 „	} 10,5 %	
Corsi[4])	3 = 1,5 „		
Germanus[5])	1 = 0,5 „		
Musiaticus[6])	1 = 0,5 „		
Bessi[7])	37 = 18,5 „		
Graeci[8])	7 = 3,5 „		
Phryges[9])	3 = 1,5 „	} 29,5 %	
Pontici[10])	7 = 3,5 „		
Nicaeenses[11])	4 = 2 „		
Bithyni[12])	5 = 2,5 „		
Cappadoces[13])	3 = 1,5 „		
Pamphyli[14])	2 = 1 „		
Cilices[15])	19 = 9,5 „		
Suri s. Syri[16])	16 = 8 „		
Alexandrini[17])	16 = 8 „	} 28 %	
Aegypti[18])	28 = 14 „		
Afri (Libyci)[19])	12 = 6 „		

1) X 3465. 3569. 3607. 3628. 3639. 3375. XIV 238.

2) VI 3108. 3126. X 3475. 3540. 3545. 3570. 3618. 3642. 3666. — Notizie d. Scavi 1886 p. 104. ibidem 1892 p. 119.

3) VI 3101. 3105. 3121. X 687. 3423. 3466. 3501. 3598. 3601. 3613. 3621. 3627. 3636. 3648. 3650. XIV 242. D. XXXV. D. LIX.

4) X 3562. 3572. D. XXXII. 5) X 3588. 6) X 3640.

7) III 558. 6109. VI 3097. 3103. 3107. 3128. 3139. 3141. 3142. 3145. X 1080. 3370. 3374. 3376. 3555. 3573. 3576. 3590. 3600. 3602. 3625. 3653.

Plurimi igitur huius classis milites, qui patriam enuntiant, sunt natione Afri, Aegypti, Asiatici; etiam permulti Bessi, Sardi, Corsi inveniuntur. Quorum omnium numero plane obruuntur Delmatae et Pannonii, cum vix 9 % efficiant; illi autem qui ex Asia, ex Aegypto, ex Africa orti sunt, additis Bessis Sardis Corsis 86,5 % explent.

Quarum tabularum si rationem habemus, perspicue appareret classis Misenensis supplementa praecipue e terris, quae ad orientem spectant, dilecta esse praetereaque multos Bessos Corsos Sardos in ea militasse; classem Ravennatium milites plerosque e Delmatia et Pannonia oriundos habuisse.

Haec sententia confirmatur eo, quod illi tres veterani, qui eodem quo legio conscripta erat anno 68. dimissi sunt, quorum nomina et patriae diplomatis, quae initio protuli, exhibentur, neque e Pannonia neque e Delmatia oriundi sunt, sed primus Diomedes est natione Phrygius, alter Mathaius Syrus, tertius Ursaris Sardus; qui cum e legione I. Adiutrice

---

3656. 3657. 3660. 3664. 7595. XI 3533. 3535. XIV 234. 236. 240. Eph. epigr. IV 920. VIII 144. Notizie d. Scavi 1886 p. 105 (= 2). D. I.

8) VI 3102. 3136. X 3388. 3536. 3603. 3612. 3667.

9) X 3565. D. IV. — X 3508 (Asiacus).

10) VI 3094. 3143. X 3397. 3425. 3461. 3495. 3581.

11) X 3406. 3416. 3419. 3622.

12) X 3490. 3492. 3553. 3597. — XI 78 (Gry. Corvina Nicon).

13) VI 3092. 3140 (C.?) — XI 8261 (Coropissus).

14) X 3400. Eph. epigr. VIII 430.

15) VI 3113. 3123. 3129. X 3372. 3377. 3402. 3424. 3443. 3445. 3454. 3558. 3604. 3605. 3619. 3623. 3651. 3662. 3668. XIV 3627.

16) VI 3114. 3138. X 3407. 3414. 3427. 3450. 3494. 3509. 3546. 3626. 3652. D. V. D. LX. — X 3487 (Seleuciensis). VI 3115 (Cyrenensis). X 3546 (Syrus natione Arabus).

17) VI 3093. 3096. 3112. X 3452. 3500. 3504. 3512. 3535. 3564. 3567. 3574. 3608. 3615. 3617. 7535. 8208.

18) VI 3110. 3117. 3127. 3133. X 3381. 3383. 3396. 3403. 3460. 3464a. 3469. 3470. 3481. 3482. 3489. 3514. 3515. 3516. 3520. 3532. 3534. 3568. 3579. 3583. 3589. 3614. 8374. D. XIII.

19) VI 3171. X 3389. 3400a. 3422. 3433. 3435. 3550. 3630. 3634. 3643. 3644. VI 3134 (Libycus).

dimissi sint, necessario etiam ad classem Misenensem referendi sunt. Porro convenit, quod et ii qui e classe Ravennatium et qui e legione II. Adiutrice stipendiis absolutis dimissi sunt veterani in urbes Pannonicas deducebantur [1]), nimirum ut ea provincia Romano cultu imbueretur, cum ex altera parte veterani classis Misenensis in Aegyptum transferrentur.[2])

Gravissimis igitur argumentis adducimur, ut parum certo fundamento Domaszewskium niti censeamus, cum idem de patriis militum legionis I. Adiutricis quod de legione II. Adiutrice valere putet. Itaque causa tollitur, cur hanc legionem ipsa aetate Flaviorum e Pannonia Delmatiaque suppletam esse neget vir doctissimus. Sane id quod statuit de origine legionis II. Adiutricis eiusque militum patriis, omnino probari potest; sed si idem ad hanc legionem pertineret, offensionis ansam praeberet, quod in castris Mogontiacensibus illorum tantum cippi sepulcrales reperti sunt, qui quondam classiarii e Pannonia Delmatiaque oriundi erant, cum plurimi eorum classicorum, e quibus haec legio creabatur, orientales essent.

Quibus rebus expositis luculentissime apparet, legioni etiam tum, cum in Germania castra habuit, Pannoniam et Delmatiam dilectum admisisse. Deinde cum legio Daciae et brevi post Pannoniae superiori attributa esset, ex eisdem terris ad Danuvium sitis milites oriundos eam habuisse per se consentaneum est, praecipue inde ab Hadriani aetate, quem dilectum ita instituisse constat, ut e sua quaeque provincia legio suppleretur. Quamobrem in titulis sepulcralibus posterioris aevi patria vel origo militum nunquam occurrit nisi in tribus cippis:

I. Primum in titulo VIII 9376 (= n. 151), qui in provincia Mauretania exstat, quadrarius insculpsit: ‘natione Panno-

---

1) cf. D. VII (CIL III. p. 850) et D. VIII (CIL III. p. 851), et quod ad D. VIII. editor adnotat.

2) cf. Wilcken, ‘Ägyptische Urkunden aus dem Königlichen Museum zu Berlin’ (5. fasc.) P. 6892. No. 113.

nius', suo quidem iure, quod ille miles in ea provincia procul a patria mortuus est.

II. Tum singuli milites ex Iconio (III. Suppl. 11030 = n. 61) et e Theveste (III. Suppl. 6706 = n. 145) oriundi dicuntur, quod fortasse ita explicandum est, ut, quo tempore legio in illis regionibus nescio qua de causa moraretur, detrimenta nuperrime accepta ex vicinis provinciis resarcienda fuisse arbitremur. —

CAPUT II.

De legione I. Adiutrice in Italia et in Hispania versante.

1. Quas res legio annis 68. et 69. in Italia gesserit.

Legionem etiam post mortem Neronis Romae remansisse saepius commemoravimus.[1]) Praeterea tribus illis diplomatis[2]), quae initio attulimus, Galbam a. d. XI. Kal. Ian. veteranos legionis dimisisse comperimus, quorum quantus numerus fuerit, ex sententia diplomatis non apparet. Atque ut hanc quaestionem diiudicemus, horum diplomatum verba comparemus si placet cum diplomate[3]) a Vespasiano Non. Mart. anni 70. veteranis legionis II. Adiutricis dato, cuius quae ad hanc quaestionem spectant verba sunt haec:

'Imp. Vespasianus . . . . . veteranis, qui militaverunt in legione II. Adiutrice p. f., qui vicena stipendia aut plura meruerant et sunt dimissi honesta missione, quorum nomina subscripta sunt, ipsis liberis posterisque eorum civitatem dedit et conubium' et q. s.

Quod cum has duas legiones Adiutrices ex eadem origine i. e. e classe ortas esse itaque earum milites in eadem condicione fuisse constet[4]), Galbam adversus veteranos legionis I. Adiutricis item se gessisse, ut Vespasianum adversus legionem II. Adiutricem, concludere licet. Cuius legionis quandoquidem

---

1) cf. Tac. hist. I 6 (vide supra p. 7 sqq.).
2) v. supra p. 6 et ibid. adn. 2.
3) cf. D. VI. (CIL III. p. 849).
4) v. supra p. 18 et 21.

omnes illi veterani, qui vicena aut plura stipendia meruerant[1]), statim missi sunt, etiam I. Adiutricis veteranos, qui vicena aut plura stipendia emeriti erant, honestam missionem accepisse arbitror. — Eodem tempore ii quoque, qui peregrinorum in legione retinebantur, civitatem nancti sunt.[2])

Sed tantum afuit, ut legio tantis privilegiis acceptis imperatori obstricta remuneraretur beneficia officiis, ut contra animo ab Galba aversissimo esse pergeret (Tac. hist. I 31); id quod paulo post, initio insequentis anni (69.) ex eo eluxit, quod, cum Othone res novas agitante Galbae imperium labefieri inciperet, legio Galba deserto ad Othonis partes transire cunctata non est (Tac. hist. I 44). Deinde legio, quippe quae magna fide ac studio Othoni dedita esset, contra copias Vitellii profecta est una cum quinque cohortibus praetoriis et duobus milibus gladiatorum (Tac. hist. II 11) duce Annio Gallo praemissa, ut Padi ripas occuparent neque Vitellii exercitus longius progredi sinerent, qui ducibus Caecina et Valente diverso transitu Alpes celeriter transgressi iam in Gallia cisalpina erant.

Quo factum est, ut legio statim primis interesset proeliis cum hostibus commissis. Nam Annius Gallus, cum Placentiam a Caecina oppugnari comperisset, diffisus paucitate militum praesidiariorum, ne incursiones et impetus exercitus Germanici parum tolerarent, raptim legionem I. Adiutricem subsidio adduxit. Qui ubi primum hostes Cremonam versus discessisse audiverunt, Annius Gallus legionem cupiditate pugnandi ardentem vix coercere poterat (Tac. hist. II 23). Denique prope ab urbe Cremona[3]) manus cum hostibus contulit ac primo periclitata superior ex proelio discessit. Sed cum paulo post apud Bedriacum armis decertaretur, variam belli fortunam

1) Legionarii enim vicenis stipendiis functi dimittebantur, classiarii, ex quibus legiones I. et II. Adiutrices conscriptae erant, vicena sena stipendia persolvebant.

2) vide supra p. 6.

3) Locus Castorum vocatur, cf. Tac. hist. II 24.

legio experta est, qua de re cum Tacitus in secundo libro historiarum fusius referat, res summas attingam.

Primo statim proelio res omnino Othonianis bene successit et eximia fortitudine legio I. Adiutrix excellebat. Forte enim concurrerat legio cum legione, miles cum milite, e parte Othonis legio I. Adiutrix, ex altera parte legio XXI. Rapax; haec ‘vetere gloria insignis’, illa ‘nondum in aciem deducta, sed ferox et novi decoris avida’.[1]) Quo in certamine cum primani legioni XXI. aquilam eripuissent, dolore accensi unetvicesimani in pugnam redierunt atque ut abolerent labem prioris ignominiae, impetu iterato et Orfidium Benignum legatum legionis I. Adiutricis interfecerunt et compluria signa vexillaque ex hostibus rapuerunt.

Dum haec inter has duas legiones geruntur, Othoniani multitudine hostium cincti, cum undique a Vitellianis vehementer urgerentur, loco moti sunt. Accessit, ut summi duces ex acie excederent. Quae cum ita essent, legio I. Adiutrix aeque atque ceterae legiones pedem referre Bedriacumque se recipere coacta est.

Sed quamquam pro victa abierat legio prima, Vitelliani ipsi fortitudinem eius agnoscebant. Argumento est, quod una cum quartadecumanis legio Othoniani exercitus robur ducebatur (Tac. hist. III. 13), quas duas legiones abesse, cum de summa rerum inter Vitellium et Vespasianum decerneretur, magni momenti esse Caecina ante proelium initum milites admonuit. Idem inde apparet, quod Vitellius, tametsi vicerat, animos infractos Othonis legionariorum timens, ut milites legionis XIV. Geminae in Britanniam redire iubebat, ita legionem I. Adiutricem in Hispaniam misit, ‘ut pace et otio mitesceret’ (Tac. hist. II. 66. 67).

Remansit igitur haec legio in Italia inde ab eo tempore,

---

1) Tac. hist. II. 43. Cf. Plut. Otho. 12: *Μόναι δὲ δύο λεγεῶνες .... ἡ μὲν Οὐϊτελλίου Ἅρπαξ, ἡ δὲ Ὄθωνος Βοηθός .... ἐμάχοντο πολὺν χρόνον· οἱ μὲν οὖν Ὄθωνος ἄνδρες ἦσαν εὔρωστοι καὶ ἀγαθοί, πολέμου δὲ καὶ μάχης τότε πρῶτον πεῖραν λαμβάνοντες κτλ.*

quo a Nerone e classe conscripta erat, usque ad initium anni 69.

Venio nunc ad alterum illud, quod institui, ut doceam

2. Quas res legio I. Adiutrix in Hispania gesserit et quamdiu ibi morata sit.

Cum legio in Hispania, ubi paulo post pugnam Bedriacensem eam collocatam esse cognovimus, semper gratissimam Othonis memoriam retineret, ipsa quoque — etenim apud Tacitum etiam hoc loco iterum cum legione XIV. Gemina coniuncta apparet — tentata est, ut Vespasianum sequeretur. Sed quamquam eius rebus favebat, tamen non statim a Vitellio defecisse, sed cunctata videtur esse, dum ad certum finem res pervenirent.[1]) Cum autem Antonius Primus, dux Illyrici exercitus, secundis proeliis usus esset atque Fabio Valente capto opes Vitellii corruissent, palam ad Flavianorum partes transiit reliquasque duas legiones Hispanicas, ut idem facerent, incitavit. — Extremo igitur anno 69. in Hispania tres legiones tendebant[2]), legio I. Adiutrix, VI. Victrix, X. Gemina, ibique remanebant, cum inter Germanicas et Illyricas legiones de principatu in Italia decertaretur.

---

1) cf. Tac. hist. II. 86: 'scriptae in Britanniam ad quartadecumanos, in Hispaniam ad primanos epistulae, quod utraque legio pro Othone adversa Vitellio fuerat, momentoque temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis'. — Minime igitur quisquam iudicabit (ut Pfitzner ll. p. 219) legionem ita se gessisse, ut exspectaret, quae consilia ceterae legiones Hispanicae caperent, praesertim cum eas quoque iisdem animis esse haud ignoraret. Apertis enim verbis memoriae traditum est omnes legiones, quae tum in Hispania castra habebant, magno erga Vespasianum studio affectas esse (Tac. hist. II. 97. cf. adn. 2).

2) cf. Tac. hist. II. 97: 'neque ex Hispaniis properabatur nullo tum ibi consulari: trium legionum legati pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam eius fortunam ex aequo detrectabant'. — Id. hist. III. 44: 'Capto Valente cuncta ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima Adiutrice legione orto, quae memoria Othonis infensa Vitellio decumam quoque ac sextam traxit'.

Ineunte autem anno 70. cum tumultum, quem Civilis ille Batavus in Germania Galliaque moverat, opprimere necesse esset, legiones ex Hispania quoque ad Rhenum[1]) coactae sunt. Itaque quaeritur, quaenam legiones ad id bellum ex Hispania accitae, utrum omnes trés legiones in Germaniam missae sint necne; quae res in controversiam vocata est, quod eo loco historiarum, quo Tacitus, quae legiones ex singulis provinciis in Germaniam amotae sint, enumerat, codicis litterae tam depravatae ac corruptae sunt, ut alii viri docti alias significari coniecerint.[2])

In codice quidem quae ad hanc quaestionem pertinent compendia sunt haec: ‘ui ac $\overset{i}{p}$ma’ — duae igitur legiones Hispanicae memorantur, quae ad Rhenum translatae sint — atque Aschbach[3]), Mommsen[4]), Ritterling[5]) interpretantur ‘sexta ac prima ex Hispania accitae’; sed cum omnes propter Taciti locum, qui est in historiarum libri V. capite 19[6]), concedant, etiam legionem X. Geminam ad bellum missam esse, postea id factum esse contendunt.

Neque vero erat ducis belli peritissimi, ut Muciani, pau-

1) Hac in re tecum deliberes velim bellum Iudaicum nondum confectum fuisse eodemque tempore Sarmatas in Illyricum subito invasisse (cf. Tac. hist. I. 2 et 79).

2) hist. IV. 68. Editores verba hunc in modum exhibent: ‘legiones victrices octava undecima (sic demum Nipperdeius), Vitellianarum unaetvicesima, e recens conscriptis secunda Poeninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio traducuntur; quarta decuma legio e Britannia, sexta ac decuma (sic Savilius) ex Hispania accitae’.

3) l. l. p. 317. adn. 3.

4) Herm. XIX. p. 440. adn. 1, ubi iam ipse mutavit, quod Herm. III. p. 119 adn. opinatus erat legionem I. Adiutricem anno 70. in Hispania remansisse.

5) l. l. p. 38. — Ritterling imprimis, ut sententiam suam probet, laudat etiam virum doctum Boissevain, qui ‘de re militari Hispaniarum provinciarum aetate imperatoria’ scripsit; cuius viri argumenta examinare non potui, quod eius librum inspicere non licuit.

6) Verba sunt haec: ‘postera die (sc. post pugnam apud Vetera commissam) quarta decumana legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa; Cerialis exercitum decuma ex Hispania legio supplevit’.

latim legiones ad pacandam Galliam Germaniamque evocare. Civilis enim, dux Batavorum, homo haud spernenda virtute et mirabili ingenio, quippe qui iam dudum novas res moliretur, prosperis rebus accensus non solum totam Germaniam contra imperium Romanum concitavit, sed etiam Gallias, quae per tot annos fidem erga populum Romanum non mutaverant, abalienare studuit. Quin etiam Romanae quoque legiones tentabantur. Ac denique res eo pervenit, ut, cum in Italia robur exercitus Germanici abesset, ille ad Rheni ripas summa rerum potiri auderet: urbes Romanis fidelissimae expugnatae, castra legionem diruta sunt; legiones ipsae partim occisae, partim pro Galliarum imperio sacramento se adigere coactae sunt. Quare cum omnia adeo turbata ac mixta essent, quam celerrime vi ac manu in seditiosos populos et legiones consuli atque auctoritatem nominis populi Romani restitui necesse erat. Quae res ut Romanis prospere succederet, maximae copiae opus erant.

His fere rationibus adducimur, ut, qui tum Romae auctore Vespasiano summae rerum praeerat, Mucianum statim ab initio satis multas legiones, quoad ceterae provinciae praesidio sine periculo carere possent, ad bellum Batavicum misisse credamus. Unam ergo legionem postea ex Hispania submissam esse in Germaniam cogitare vix licet, si modo destinata erat, quae illi bello interesset.

Et legionem X. Geminam revera Germaniae inferiori attributam fuisse, ex illis Taciti verbis, quae supra p. 35 adn. 6 laudavi, apparet. Quare eodem tempore quo ceteras etiam legionem X Geminam ad bellum Germanicum evocatam esse mihi quidem persuasum est.

Ex altera autem parte omnes tres legiones, quae tum in provincia collocatae erant, ad bellum contra Civilem gerendum accitas esse veri simile esse nego. Nam postquam initiis principatus gravia et diuturna bella contra Astures et Cantabros gesta sunt, Augustus ipse tandem eam regionem, quae inter septentriones et occasum solis spectat, in dicionem populi Romani redegit. Sed ne victa quidem Hispania unquam

militibus legionariis plane nudata erat: ut enim prioribus temporibus provinciae complures legiones attributae erant[1]), sic per reliquum quoque tempus, quo legiones per totum imperium Romanum ita dispersae erant, ut fines ab incursionibus hostium defenderent, in sola omnium provincia Hispania, etiamsi vicina hostibus non erat, tamen una legio remanebat.[2]) Quanto magis tumultuosis illis temporibus praecavendum erat, ne, postquam in Italia decertatum esset, iterum in provinciis tumultus fieret!

Accedebat, quod, cum Cluvius Rufus specie amicitiae et comitatus a Vitellio Romae retentus esset, Hispania tum legato vacua erat.[3]) Quo absente legionis saltem legato opus erat, qui summae rerum in provincia praeesset. Quibus de causis unam legionem tum in Hispania remansisse pro certo habere nos posse putaverim.

Primum igitur, ut summatim, quae protulimus, repetamus, legio X. Gemina, quam bello Batavico interfuisse constat, statim una cum ceteris legionibus, ubi arma contra rebellantes Germanos ferre constitutum est, iter parare iussa est.

Tum unam quidem legionem Hispaniae praesidio remanere necesse fuisse statuimus. Atqui legiones VI. Victricem et X. Geminam in Germaniam advenisse ibique bello Batavorum interfuisse apertis verbis Tacitus testatur, cum de legione I. Adiutrice, quae quibus rebus interfuerit, ad id tempus semper

---

1) Quam necessarium id praesidium ad ipsius provinciae incolas domandos fuerit, inde intellegi potest, quod etiam Neronis aetate legiones contra Astures militasse traditum est. Ergo tum paucis annis intermissis certe timendum erat, ne provinciales vixdum pacati iterum rebellarent, praesertim cum novarum rerum cupidissimi essent.

2) Etiam usque ad Diocletiani aetatem, quantum cognoscere licet, in Hispania legio Romana tendebat, nempe VII. Gemina. Cf. not. dign. Oc. 42. ed. Seek.

3) cf. Tac. hist. II. 65: 'Cluvius comitatui principis adiectus non adempta Hispania, quam rexit absens exemplo L. Arrunti'. — Id. hist. II. 97: 'nullo tum ibi consulari' (cf. p. 34 adn. 2). — Id. hist. IV. 39: 'Mucianus . . . citeriorem Hispaniam ostentans, discessu Cluvii Rufi vacuum'. —

diserte narrat, hoc loco nihil referat. Ergo legionem I. Adiutricem in Hispania remansisse admodum probabile est.

Quibus rebus cognitis ille locus Taciteus (hist. IV. 68) ita necessario restituendus est: 'sexta ac decima ex Hispania accitae'; quae quidem emendatio Savilii ut necessaria est, ita pro certa haberi potest, propterea quod Tacitus legiones, si quas enumerat, plerumque minore numero insignitas maiori numero anteponere solet.

Iam vero quod illae duae Hispanicae legiones, quamvis eodem tempore excitae, tamen uno eodemque die ad belli sedem non advenerunt[1]), id scrupulos movere nequit. Nam nisi in iisdem castris tetenderant, una proficisci non poterant, sed ubi primum litterae allatae sunt, ut castra moverent, pro sua quaeque parte iter ingressa est. Atqui non modo non iisdem castris utebantur, sed legio X. Gemina iis fere temporibus in parte meridionali Hispaniae collocata erat, ut Mauros seditiosos a provincia cohiberet.[2]) Quo factum est, ut, cum legio VI. Victrix iam dudum belli labore occupata esset, X. Gemina die postquam armis decertatum est, in inferiorem Galliam perveniret.[3])

Sed non solum ubi legio anno 70. fuerit, verum etiam qua in provincia post bellum in Germania peractum stationem habuerit, adeo incertum est, ut alii viri docti aliter sentiant.

---

1) Tac. hist. V. 14: 'At Civilis post malam in Treveris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera castra consedit. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis adventu secundae et sextae et quartae decumae legionum'. — De legione X. Gemina vide p. 35 adn. 6.

2) Vere anni 69. legionem X. Geminam ad oram paeninsulae in meridiem spectantem collocatam fuisse testatur Tacitus in hist. II. 58: 'Isdem diebus accessisse partibus (sc. Vitellii) utramque Mauretaniam interfecto procuratore Albino nuntii venere . . . . inde Cluvio Rufo metus, et decumam legionem proquinquare litori ut transmissurus iussit'.

3) Ex eo quod, ubi primum legio X. Gemina advenit, legio XIV. Gemina in superiorem provinciam discessit, concluditur illam ad inferiorem Rhenum iter intendere iussam esse; nisi ita esset, multo celerius ex Hispania in superiorem provinciam pervenire potuit neque legionem XIV. Geminam ex inferiore Germania in superiorem dimitti opus erat.

Nam cum Aschbach [1]) et Ritterling [2]) legionem anno 70. ad bellum Batavorum ex Hispania missam esse dicant, Pfitzner[3]) bello Batavico peracto eam in Germaniam venisse contendit in eo tamen omnes consentiunt, quod legionem inde a bello Batavico Germaniae superiori attributam fuisse credunt. Iam vero Mommsen [4]) eam, postquam in seditione sedanda partes egisset, in provinciam Hispaniam remissam esse statuit.

Ex quo perspicuum est illos viros inter se dissentire propterea, quod non constabat, utrum legio bello Batavico interfuisset necne. Quoniam autem eam anno 70. ex Hispania non decessisse supra argumentis statuimus gravissimis, facile intellegitur, cum illo anno castra non mutaverit, annis bello Batavico posterioribus ex provincia sua avocatam non esse.

Quod verum esse ut credamus, ea ipsa deliberatione commovemur Romanos hostibus ubique profligatis tamen Hispaniam copiis plane nudare nondum ausos esse neque tum usquam aliam legionem praesto fuisse, quae ei provinciae praesideret.

Qua de re quamquam controversia non est, tamen valde doleo, quod neque rerum scriptor, quamdiu legio ibi tetenderit, memoriae prodidit, neque tituli reperti sunt[5]), qui, ubinam castra habuerit, quid in bello, quid in pace perfecerit legio, doceant.

Itaque cum res ita se habeat, id tantum affirmare licet, inde ab anno 69. usque ad annum 88. legionem in Hispania collocatam fuisse. Exeunte enim illo anno ex provincia cessit neque eo revertit.

---

1) l. l. p. 317 et 319.

2) l. l. p. 70 et 75.

3) l. l. p. 71, sed causam vir doctus non affert, qua commoveamur, ut id re vera factum esse putemus.

4) 'Röm. Gesch.' V. p. 59 adn. 1 et p. 145 adn. 1.

5) Tituli legionis, qui in Hispania ad lucem prodierunt, posterioris aetatis sunt.

CAPUT III.

De legione I. Adiutrice in Germania versante.

1. Quo tempore legio in Germaniam translata sit et quamdiu ibi tetenderit.

In Plinii panegyrici capite 14 scriptum est Traianum ex Hispania Domitiani iussu legiones ad Rhenum adduxisse, cuius auctoris verba sunt haec: 'Germaniam Hispaniamque cum plurimae gentes ac prope infinita vastitas interiacentis soli tum Pyrenaeus, Alpes immensique alii montes, nisi his comparentur, muniunt dirimuntque. Per hoc omne spatium cum legiones duceres seu potius (tanta velocitas erat) raperes, non vehiculum unquam, non equum respexisti . . . . . Nec dubito, quin ille, qui te inter illa Germaniae bella ab Hispania usque ut validissimum praesidium exciverat, iners ipse alienisque virtutibus tunc quoque invidus imperator, cum ope earum indigeret, tantam admirationem tui non sine quodam timore conceperit' et q. s.

Exsistunt hoc loco complures quaestiones, quas solvere deinceps conamur, primum quae illae legiones fuerint, deinde quo munere tum Traianus functus sit, denique qua de causa legiones in Germaniam translatae sint.

Ac primum quidem si quaerimus, quas legiones Traianus in Germaniam traduxerit, Ritterling[1]) vocem 'legiones' ita interpretatur, ut Plinium rhetorica quadam superlatione usum esse putet, quod ea aetate una tantum legio in Hispania teten-

1) l. l. p. 70 adn. 3.

derit. At verba illa ad audiendum iucunda non fuissent — id quod efficere voluisse Plinium Ritterling videtur arbitrari — si Plinius plures legiones Traiano attribuisset, quam ille re vera in Germaniam adduxisse putandus erat. Praeterea Romani memoriam illarum rerum nuper gestarum nondum adeo amiserant, ut Plinio legionum numerum, ut adularetur, ad suum arbitrium augere liceret, nisi civibus ludibrio esse vellet. Censemus ergo voce legionum significari complures legiones easque minimum duas. Quarum alteram fuisse legionem I. Adiutricem ex eis, quae supra protulimus, apparet; altera legio VII. Gemina intellegenda est, quam cum ante annum 80. in Hispaniam venisse constet[1]), ab eo tempore

1) Anno 70, quo Vespasianus singulis provinciis occidentalibus denuo suas cuique legiones attribuit, legio VII. Gemina nondum in Hispaniam missa est. Nam apud Tacitum (hist. IV. 39) legimus: 'dimissa in hiberna legione septima', quae hiberna iam tum, cum legiones Illyricae Othonis partes secutae primo contra Vitellium ductae sunt et Galliam cisalpinam occupaverunt, in Pannonia fuisse idem auctor testatur his verbis (hist. II. 11); 'Laeta interim Othoni principia belli, motis ad imperium eius e Delmatia Pannoniaque exercitibus. Fuere quattuor legiones, e quibus bina milia praemissa; ipsae modicis intervallis sequebantur, septuma a Galba conscripta, veteranae undecuma ac tertia decuma et quarta decumani' et q. s. Atque hist. II. 67 legimus legionem a Vitellio Othonianis devictis in castra sua i. e. in Illyricum esse remissam ('undecuma ac septima suis hibernis redditae'). Unde legionem exeunte anno 69. iterum contra Vitellianos duce Antonio Primo profectam esse Tacitus disertis verbis memoriae prodidit (hist. II. 86): 'At in Pannonia tertia decuma legio ac septima Galbiana dolorem iramque Bedriacensis pugnae retinentes haud cunctanter Vespasiano accessere vi praecipua Primi Antonii.' (cf. etiam hist. III. 7 sqq.) Scimus ideo legionem VII. Geminam extremo anno 69. in Pannoniam revertisse. Ibi autem videtur in locum legionis XV. Apillonaris, quae in Syriam ad bellum Iudaicum abducta erat, successisse neque e provincia amota esse, priusquam illa in castra sua reverterat. Anno enim 79. legionem VII. Geminam iam in Hispania collocatam fuisse titulo CIL II. 2477 docemur. Quo titulo demonstrari unam tantum legionem tum provinciae Tarraconensi praesedisse Ritterling contendit (p. 70 adn. 3), sed errasse virum doctum interpretatio tituli Mommseniana docet, secundum quam opus illud — ponte enim facto titulus positus est — fecerunt et legio VII. Gemina et civitates decem infra scriptae

semper ibi castra habuit neque aliam unquam postea legionem in provincia moratam esse traditum est.

Porro quaerendum est, quo munere Traianus eo anno functus sit, cum legiones ex Hispania abducere iuberetur. Qua de re cum iudicium certum ferre non liceat, periclitandum, num probabile quid coniectura assequi possimus. — Ac Mommsen[1]) quidem sentit, Traianum alterius duarum illarum legionem legatum fuisse atque sive plurium stipendiorum esset legatus, sive imperium ei mandatum esset, in itinere utrique legioni praefuisse. Atque legionis I. Adiutricis potissimum legatum eum fuisse vero proximum est, quod et haec legio et Traianus ipse postea in Germania morari una perseverabant, cum legio VII. Gemina in Hispaniam remissa esset. Legato autem Augusti pro praetore loco Antonii Saturnini fieri nondum ei licuit, quia anno demum 91. consul designatus est. Itaque cum certiora non tradita sint, acquiescendum est in eo, quod Traianum tum, cum bello Germanico feliciter patrato in Germania superiore continuo versabatur, legatum legionis, fortasse I. Adiutricis fuisse per se verisimile est.

Iam investigantibus nobis, qua de causa haec legio una cum legione VII. Gemina in Germaniam accita sit, Plinius ipse tanquam ansas praebet, ut verum eruamus. In extremo enim capite, quod supra laudavimus, haec legimus: ‘ille (sc. Domitianus) qui te inter illa Germaniae bella ab Hispania usque ut validissimum praesidium exciverat.’ Hoc igitur loco agitur de bellis Germanicis. Atque Domitianus quidem bis in Germania bellum gessit: primum anno 83. contra Chattos arma tulit, secundam expeditionem adversus Antonium Saturninum, legatum provinciae superioris, qui ab eo desciverat et a militibus suis imperator consalutatus erat, suscipere coactus est. Atqui belli anno 83. contra Chattos

---

opera coniuncta. — Legionem VII. autem in Germania fuisse demonstratur titulis Bramb. 896 et maxime CIL VI. 3538.

1) Herm. III. p. 120.

gesti ratio non habenda est, quod id Domitianus antea paraverat et sua sponte susceperat.[1]) Ergo facere non possumus, quin propter seditionem Saturnini[2]) exortam statuamus a Domitiano Traianum cum duabus legionibus ex Hispania auxilio accitum esse.

Sed antequam ad id ipsum venio, quod mihi proposui, de seditione Antonii Saturnini, cuius in hac disputatione saepissime mentio fit, breviter, si placet, exponamus, primum quo tempore quoque loco orta sit, deinde quot et quae legiones scelerum participes fuerint, postremo ubi decertatum sit.[3])

Quae seditio cui anno attribuenda esset, postquam diu controversia fuit inter viros doctos, nunc accuratissima indagatione adhibita diiudicatum est a Theodoro Bergk[4]), qui actis potissimum fratrum Arvalium adiutus hieme inter annos 88. et 89. seditionem ortam et sedatam esse demonstravit.

Neque quo loco seditio exstiterit, non iam ambigitur, sed Mogontiaci[5]) Antonium imperatorem consalutatum esse videtur

1) cf. Suet. Domit. 6: 'expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario: sponte in Cathos, necessario unam in Sarmatas, in Dacos duas' et q. s.

2) cf. Mommsen, Herm. III. p. 118, quocum quod hac in re eadem sententia sum valde gaudeo; neque vero eidem assentiri possum, cum dicat Vindonissam iter Traianum intendisse, quo loco etiam pugna commissa esset, qua de re vide p. 50/51.

3) De hac seditione Antoniana his potissimum libris usus sum: Johannes Dierauer, 'Beiträge zu einer krit. Gesch. Traians' in 'Büdingers Unters.' I. p. 12 adn. 2. — Schiller, 'Gesch. der röm. Kaiserzeit' I p. 524 adn. 2. — Imprimis Th. Bergk, 'der Aufstand des Saturninus am Oberrhein im J. 89' in libro, qui inscribitur 'Zur Gesch. u. Topogr. der Rheinlande in röm. Zt.' p. 61—71 (= 'Bonner Jahrbb.' 58. [1876] p. 134—146). — Cf. etiam Herm. III. p. 120.

4) cf. adn. 3. Sententia Theodori Bergk eis fulcitur, quae hac de re protulit Gsell in: 'Mélanges d'archéologie et d'histoire' IX (1889) p. 1 sqq. in disputatione, quae inscribitur: 'Chronologie des expeditions de Domitien pendant l'année 89'. Qui cum maxime nitatur eis argumentis, quae carmina Statii et Martialis praebent, certis, ut opinor, terminis dies circumcludit, quibus seditio et orta et compressa sit.

5) cf. Asbach, 'Die Kaiser Domitian u. Traian am Rhein' in 'Westd. Zeitschr.' III. p. 8 sqq. (imprimis v. p. 23 adn. 36). — cf. etiam Mommsen, 'Röm. Gesch.' V. p. 137 adn. 1.

inter omnes constare; qua in urbe praeses provinciae superioris sedem habuit simulque duae legiones una praetoria habuerunt.[1]) Quae opinio praeterea eo comprobatur, quod Rheno subito resoluto[2]) Germanos transituros, quominus Antonio auxilium ferrent, impeditos esse apertis verbis traditum est. In hibernis igitur Mogontiacensibus L. Antonius Saturninus sub finem anni 88. Germanorum subsidiis fretus, quibuscum iam dudum agebat, a Domitiano defecit.

Ac si quaerimus, quot et quae legiones Antonium secutae scelere se astrinxerint, illud primum videamus, quaenam legiones tum in Germaniis collocatae quibusque castris impositae fuerint. Quod ut planius exponam, paulo altius repetam necesse est, quomodo anno 70. exercitus Germanicus mutatus sit.

A quaestione igitur difficillima incipiendum est, qua poena Vespasianus legiones affecerit, quae, postquam robur exercitus cum Vitellio in Italiam profectum est, sacramenti fide violata in imperii Galliarum tutelam se contulerant. Et Ritterling exauctoratas esse eas legiones iam statuit[3]), quarum aquilae a Vitellio ad Rheni ripas relictae sceleribus commaculatae essent, scilicet I. Germanicam, IV. Macedonicam, XV. Primigeniam, XVI. Sed quamquam huius viri docti sententiam in universum probo, tamen quattuor illas legiones a Vespasiano dissolutas esse concedere nequeo. Immo assentior commilitoni Schilling, qui non quattuor, sed tres tantum legiones tum dimissione esse punitas ex eo potissimum coniciendum esse optime comprobavit, quod Traianus, cum anno fere 100.

1) Suet. Domit. 7: . . . 'L. Antonius apud duarum legionum hiberna res novas moliens' . . .; ibidem c. 6: 'bellum civile motum a L. Antonio superioris Germaniae praeside'. — cf. Th. Bergk, 'Mainz u. Vindonissa' l. l. p. 80 sqq. — cf. etiam Victor. epit. 11, 9: 'L. Antonius curans Germaniam superiorem' et q. s. — Cassius Dio 67, 11: *Ἀντώνιος δέ τις ἄρχων ἐν Γερμανίᾳ.* — Spart. v. Pesc. c. 9 et Plut. v. Aemil. Paul. c. 25 vide p. 54 adn. 2.

2) Suet. Domit. 6: . . . 'cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset' . . .

3) l. l. p. 65, 66 (in app. I.).

primam sui nominis legionem conscripsit eique numerum XXX. imposuit, undetriginta legiones tum habuisse putandus esset[1]); qui numerus non effectus esset, si Vespasianus quattuor legiones anno 70. exauctoravisset.[2]) Itaque Schillingii argumentationem secutus has tres legiones: I. Germanicam, IV. Macedonicam, XVI. dimissas fuisse ipse quoque pro certo habeo.

Ceterae autem Germanicae legiones, quae cum Vitellio in Italiam venerant, post victoriam apud Cremonam reportatam in Illyricum missae sunt[3]) praeter unam, nempe legionem XXI. Rapacem, quae Italia pacata statim una cum septem aliis contra Civilem missa est; ac tum ne castra quidem mutavit, cum eam Vindonissa, ubi etiam antea tetenderat, fines Treverorum ingressam esse Tacitus testetur.[4]) Quare ad Danuvii ripas amotae esse putandae sunt legiones V. Alauda XV. Primigenia I. Italica XXII. Primigenia.

Quo factum est, ut initio anni 70. ad bellum contra Gallos et Batavos conficiendum excirentur legiones VIII. XI. XXI. II. XIV. VI. X.[5]): Ceriale duce contra Civilem pugnabant legi-

---

1) Traianum duas legiones, XXX. Ulpiam et II. Traianam, creavisse ex ipsis nominibus elucet. Deinde ex numeris concludere licet, ante id tempus (sc. a. 105), quo secunda Traiana conscripta est, iam primam Traiani legionem exstitisse, quae Ulpia cognominata erat. Tum quod legioni Ulpiae ipse numerus XXX. impositus est, efficitur eam tricesimam ad undetriginta legiones, quae ad id tempus exstabant, accessisse. Sed cf. Schilling l. l. p. 31 sqq., qui uberius de hac re disseruit.

2) praesertim cum sub Domitiano duas legiones ad Danuvium flumen interiisse constet, quarum altera (sc. V. Alauda) bello Dacico anno 87. deleta eiusque aquila capta est (C. Dio 68, 9), altera (sc. XXI. Rapax) anno 92. a Sarmatis 'cum legato simul caesa' est (Suet. v. Dom. 6) cf. Schilling l. l. p. 22 et 24. — De legione XXI. Rapace vide etiam infra p. 58.

3) cf. Tac. hist. III. 35: 'et victae legiones, ne manente adhuc bello civili ambigue agerent, per Illyricum dispersae'. — Id. hist. III. 46: 'Fonteius Agrippa Moesiae praepositus est, additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias et externo bello inligari pars consilii pacisque erat'.

4) hist. IV. 70: 'atque interim unaetvicensima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Raetiam inrupere'.

5) cf. Tac. hist. IV. 68. V. 14, 19. (vide p. 35 adn. 2 et 6, p. 38 adn. 1.)

ones XXI. II. VI. (XIV.) X., sub Annio Gallo, qui in superiore provincia rem gerebat, erant legiones VIII. XI. XIV. et fortasse quarta. Et bello Batavico peracto, simulatque exercitus Germanicus denuo constitutus est, eaedem legiones in Germaniis remanserunt. Constat autem, postquam Germania a provincia Belgica separata et in duas partes divisa est, quaternas legiones in provinciis collocatas fuisse. Quare ad illas septem quas enumeravi legiones octavam quoque accessisse concludendum est, quae legio XXII. Primigenia fuisse mihi videtur, cum nulla usquam eius monumenta reperta sint nisi ad Rhenum.

Quomodo autem is exercitus octo legionum singulis provinciis deinceps distributus sit, nunc quaeritur; qua in controversia disceptanda primum sententias, quas viri docti protulerunt, refutabo, tum quid ipse sentiam, aperiam.

Mommsen [1]) quidem superioris provinciae legato fuisse legiones VIII. Augustam, XI. Claudiam, XIV. Geminam, inferioris provinciae legato VI. Victricem, X. Geminam, XXI. Rapacem, XXII. Primigeniam arbitratur; in locum autem legionis XXI. Rapacis postea in Germaniam superiorem translatae legionem I. Minerviam successisse. Quae si vera essent, superior provincia tribus tantum legionibus per spatium aliquod temporis defensa esset, id quod videtur minus esse probabile. Neque enim ullo tum loco legionarii molestissimis operibus tam distinebantur quam in Germania superiore: varia bella contra Chattos gerebantur, anno potissimum 83.; deinde ea aetate limes castellaque exstrui coepta sunt; tum etiam multis omnino militibus opus erat, qui regiones tam spatiosas defenderent. Praeterea Mogontiaci, in urbe oppugnationibus barbarorum apertissima semper duarum legionum hiberna fuerant; itemque semper Argentorati et Vindonissae singulas legiones tetendisse constat.

Ritterling [2]) quoque, qui quamvis summatim, tamen acute

1) 'Röm. Gesch.' V p. 145 adn. 1 et p. 133 adn. 1.

2) l. l. p. 67 sqq. Idem sentit Keller, cf. 'Korrespbl. d. Westd. Zeitschr. VI (1887) p. 82.

commentatur, quomodo per annos 70.—96. exercitus in Germania mutatus sit et quando legiones sese exceperint, inferiorem provinciam legiones I. Minerviam, VI. Victricem, X. Geminam, XXII. Primigeniam, superiorem legiones VIII. Augustam, XI. Claudiam, XIV. Geminam, XXI. Rapacem obtinuisse putat. Qua in re virum doctum verum haud adsecutum esse crediderim, praesertim cum anno 70. legionem I. Adiutricem in Germaniam translatam esse et inde anno iam 83. cessisse contendat; quam opinionem ne speciem quidem probabilitatis prae se ferre ex eis, quae hac de re disserui, satis apparet.

Etiam in legione XXI. Rapace Aemilium Ritterling erravisse puto, quam Germaniae inferiori usque ad annum 83. attribuit, qua de causa, cum monumenta eius haud rara Mogontiaci reperta sint, nihil aliud reliquum fuit, nisi ut statueret eam etiam post annum 89. in Germania esse versatam. Sed praeterquam quod sub Ceriale contra Batavos dimicaverat, nihil est, quod diutius in inferiore Germania legionem XXI. Rapacem remansisse censeamus. Titulis enim legionis, qui in ea provincia exstant, id probare non cogimur, cum ad unum omnes prioribus temporibus referendi sint, quibus sub Augusto et ceteris Iuliis ibi tetenderat. Quod autem tegulae legionis numeri cognominisque notis signatae Veteribus et Bonnae repertae sunt, quod arae a militibus legionis Herculi Saxano dedicatae in lapicidinis Brohlensibus et ad ipsum oppidum Antunnacum [1]) effossae sunt, id fortasse ita interpretandum est, ut eas tum coctas vel exaratas esse existimemus, cum legio bello Batavico interesset. Quandoquidem enim infensae barbarorum catervae omnia hiberna et castella concremata diruerant, legiones Romanae, ubi primum ad belli locum pervenerunt, nihil antiquius habebant, quam ut provinciarum statum restituerent atque dirutos oppidorum muros reficiendos et aedificia militaria denuo exstruenda curarent. Quibus in operibus legionem XXI. Rapacem imprimis occu-

1) Bramb. 656. 675.

patam fuisse, cum aliae legiones alias regiones ad inferiorem Rhenum sitas pacarent atque munirent, veri est simillimum. [1]) Sed profecto gravissimum, quo Aemilium Ritterling falsum esse demonstratur, est illud, quod alia monumenta, quae una cum aliis legionibus posuerit, in lapicidinis vallis, quae est prope oppidum Brohl, plane desiderantur [2]), cum a vexillationibus omnium Germaniae inferioris legionum illas lapicidinas exercitas esse constet, ut legiones, quippe quae sub eodem legato militarent, cunctae aras dedicarent. [3])

His igitur argumentis ac rationibus vetamur statuere legionem XXI. Rapacem bello Batavorum confecto diutius ad inferiorem Rhenum remansisse. Immo, ut summam rei proponam, initio ipso eius aetatis, qua imperium ad Flavios venit, eam in hibernis Magontiacensibus collocatam fuisse efficitur his de causis.

Mogontiaci reperta sunt multa et varia monumenta legionis, cum tituli tum tegulae, quas maximum momentum ad legionum stationes cognoscendas afferre constat; etiam in vicinis locis nonnullae tegulae effossae sunt, ut in oppido Nied, Höchst, Hofheim, Aquis Mattiacis, Neuenheim (prope Heidelbergam). Ex quo legionem in aedificiis ad usum militarem exstruendis occupatam aliquamdiu illis locis moratam esse perspicuum est. Quod quo facilius intellegatur, res legionis breviter exponam. Legio enim, quae initiis principatus sub inferioris provinciae legato fuerat, inde a Claudii aetate usque ad annum 69. in Germania superiore castra habuit, nimirum

---

1) cf. Tac. hist. V. 14 sqq.

2) In ara praecipue Herculi Saxano a legionibus VI. Victrice, X. Gemina, XXII. Primigenia dedicata legio desideratur. cf. Bramb. 660; etiam 662. 679. 680. Quibus de titulis accurate disseruit Freudenberg in hoc libello: 'Das Denkmal des Hercules Saxanus im Brohlthal, Festprgr. zu Winckelmanns Geburtstag'. 1862. p. 23, cui plane assentior. Aliter iudicat Mommsen, 'Röm. Gesch.' V p. 133 adn. 1.

3) Fortasse conicere licet legionem XXI. Rapacem tum quoque, cum castris Mogontiacensibus imposita est, vexillationes in lautumias Brohlenses misisse, praesertim cum eae Germaniae superioris finibus includerentur.

Vindonissae.[1]) Domitiani autem temporibus legionem esse iam desiisse inter omnes viros doctos constat.[2]) Ergo monumentorum testimoniis adducimur, ut paulo post bellum Batavicum peractum eam in Germaniam superiorem translatam esse credamus.[3])

Quoniam igitur legionis XXI. Rapacis stativa ea aetate ad superiorem Rhenum iam fuerunt, legionem XXII. Primigeniam, quae postea successit, inferioris Germaniae exercitum complevisse coniciendum est. Inde patet illas Germaniae octo legiones ita distributas fuisse, ut in superiore provincia VIII. Augusta, XI. Claudia, XIV. Gemina, XXI. Rapax, in inferiore II. Adiutrix, VI. Victrix, X. Gemina, XXII. Primigenia tenderent. Quae legiones fere immotae haeserunt in iis regionibus, quibus a Vespasiano impositae erant, excepta una, scilicet II. Adiutrice, quae paulo post in Britanniam missa est.[4]) Cum vero legato inferioris provinciae esset, non per-

1) cf. H. Meyer l. l. p. 125 sqq.

2) cf. Pfitzner l. l. p. 83; Th. Bergk l. l. p. 69; Zangemeister, 'Westd. Zeitschr.' III (1884) p. 254; Keller, 'Korresp. d. Westd. Zeitschr.' VI (1887) p. 82.

3) Nisi ita esset, Germania inferior tum quinque legionibus (II. VI. X. XXII. [XXI.]) ornata fuisset, quod ab omni probabilitate recedere puto; nam quamquam legio II. Adiutrix non ita multo post in Britanniam abducta est, tamen eam re vera ad exercitum Germanicum pertinuisse concedes, si tecum computaveris legionem postea rursus in Germaniam esse translatam. cf. adn. 4.

4) In suam provinciam legio II. Adi. circa annum 82. revertit propter bellum contra Chattos gerendum, ut opinor. Etiam Tacitus (Agric.) memoriae prodidit, Domitianum, paulo postquam principatum obtinuisset, exercitum Britannicum ita deminuisse, ut legatus provinciae Britanniae consilia sua mutaret. Vexillatione autem unius legionis (sc. IX. Hispanae), quam bello Chattico interfuisse constat, id non effectum est, sed legione tota amota, nempe II. Adiutrice. — Cf. Asbach, 'Westd. Zeitschr.' III p. 5 et p. 17 adn. 7. Aliter iudicat Hübner, Herm. XVI p. 540. — V. etiam Ritterling l. l. p. 68, qui legionem simul cum Ceriale duce in insulam transgressam ex Britannia continuo in Pannoniam traductam esse arbitratur, id quod incertissimum est, cum nullo modo possit demonstrari.

tinet ad hanc quaestionem. Hoc igitur in aperto est, anno 88. Germaniam superiorem a legionibus VIII. XI. XIV. XXI. defensam esse.

Quibus rebus expositis facile diiudicatur, quot et quae legiones seditionis Antonianae labe commaculatae sint. Legionem enim XXI. Rapacem Mogontiacensibus castris impositam fuisse modo comprobavi; Argentorati [1]) autem tendebat VIII. Augusta et XI. Claudia Vindonissae. [2]) Itaque cum legionis castra usquam alibi tum fuisse traditum non sit, Mogontiaci autem hiberna duarum legionum fuisse constet, quartam superioris exercitus legionem, XIV. Geminam, ipsam quoque castris Mogontiacensibus attributam fuisse intellegitur. Qua in urbe cum seditio oreretur, Antonium imperatorem consalutaverunt legiones XIV. Geminam et XXI. Rapacem. [3])

Agedum videamus, quo loco decertatum sit. Qua in re viris illustrissimis Mommsen [4]) et Bergk [5]), qui locum pugnae in Helvetiorum finibus prope ad oppidum Vindonissam fuisse opinantur, assentiri non possum. Primum enim quamquam dolendum est, quod de seditione Antoniana nullus rerum scriptor quidquam tradidit praeter unum Suetonium, qui loco laudato [6]) pauca tantum affert, tamen barbaros, quos ille auctor memorat, nullos alios fuisse nisi Germanos [7]), quorum fines

---

1) cf. Hübner, 'Bonner Jahrbb.' 88. p. 31.

2) cf. H. Meyer l. l. p. 146. — cf. etiam 'Korrespbl. d. Westd. Zeitschr. VI. (1887) p. 80 (Hameran). VII. (1888) p. 1, VIII. (1889) p. 33 et 302 (Miller), ibidem p. 224 (Zangemeister).

3) Th. Bergk quidem l. l. p. 80 unam tantum legionem Antonium secutam et sceleris participem fuisse putat, nempe XXI. Rapacem. Contra E. Ritterling, qui rem iam perstrinxit, sed non pertractavit, l. l. p. 77 totum superioris provinciae exercitum seditione esse pollutum, sed propter id scelus duas modo legiones, XI. Claudiam et XIV. Geminam, in Pannoniam ad bellum missas esse contendit. Vide etiam Met. Meyer, l. l. p. 660, qui rem difficilem non accuratius explicat.

4) cf. 'Röm. Gesch.' V. p. 137.

5) cf. 'Mainz u. Vindonissa' l. l. p. 80.

6) cf. p. 44 adn. 1.

7) cf. Mommsen, 'Röm. Gesch.' p. 137 adn. 1.

limitem inter Moenum et Rhenum ductum attingunt, Chattos dico, nemo est, qui neget. Deinde Antonium, postquam a Domitiano defecit, ante omnia operam navasse puto, ut cum Chattis, quibuscum foedus icerat, se coniungeret. Mogontiaci igitur, ubi sedem habebat, in hibernis duarum legionum, quae sceleris participes factae erant, ei manendum erat, dum socii advenirent. An putas et Antonii et Germanorum copias seorsum iuxta Rheni ripas esse profectas, alteras in sinistra, alteras in dextra fluminis ripa, quoad, quoniam in Helvetiorum fines advenerunt ibique a copiis, quae in fide perseveraverant, impugnatae sunt, in conspectu hostium se consociarent? Quis est, qui credat, imperatorem locum ad flumen transeundum idoneum, quem iam in potestate habebat, reliquisse atque se suosque fortunae commisisse? Igitur te assentientem spero me habiturum esse, si conicio Antonium Mogontiaci subsidia Germanorum oppertum esse ibique rem ad certamen venisse.[1])

Iam vero de eo viro, cuius opera et consilio seditio, ubi orta statim compressa prorsusque restincta est, maxime variantur sententiae. Quem L. Appium Maximum Norbanum fuisse cum diserte traditum sit[2]), quibus copiis ille tum praefuerit, ex qua provincia arma adversus Antonium militesque seditiosos tulerit, nihil constat.

Primum Mommsen[3]) eum fuisse legatum Pannoniae putat nisus in Martialis epigr. IX 84,5. Cui sententiae Th. Bergk (ll. p. 65) iam recte adversatus est monens stultitiae ac temeri-

1) cf. p. 44 adn. 2. — Idem sentit Hübner, 'Die röm. Herrschaft in Westeuropa' p. 133, his verbis usus: „Die Örtlichkeit jenes Kampfes wird mit grösster Wahrscheinlichkeit unmittelbar vor Mainz zu suchen sein, dem amtlichen Sitz des Statthalters. Wer den Strom und seine Gewalt kennt, weiss, dass bei plötzlichem und starkem Eisgang auch ein Übergang auf Kähnen unmöglich ist."

2) tit. VI. 1347, qui mutilatus est: . . . . 'Appii Maximi bis cos. confectoris belli Germanici.' — Cassius Dio 67. 11, 1: *Ἀντώνιος δέ τις ἐν Γερμανίᾳ ἄρχων . . . τῷ Δομετιανῷ ἀπέστη, ὃν Λούκιος Μάξιμος κατηγωνίσατο καὶ καθεῖλεν.* — Aur. Victor, epit. 11, 10: '(Antonius) quo per Norbanum Appium acie strato Domitianus longe tetrior.'

3) Herm. III. p. 116 et ind. Plin. p. 401 s. v. L. Appius.

tatis fuisse legatum Pannoniae auxilio arcessere, quod bello contra Dacos nondum peracto Suebico gravissimo nuper exorto nova Pannoniis discrimina imminerent. Sed ut iam firmissimum argumentum, quo Norbanum Pannoniae legatum non fuisse demonstratur, afferam: eum anno 116. in expeditione Parthica maioribus copiis praefectum in acie cecidisse Cassius Dio tradit.[1]) Et quis credet eum, qui anno 116, cum copiis praeesset, in acie dimicavit, anno 88. praesidem eius provinciae fuisse, quae in numero provinciarum summae auctoritatis erat atque validissimis fortissimisque legionibus obtinebatur? Quid? Si recte Mommsen rem finxisset, Norbanus nonne ita summum locum magistratuum ascendisset, ut multis annis post aetate longius provectus in inferiorem honoris gradum detruderetur?

Sed ne Bergkii quidem sententiam existimantis Norbanum fuisse procuratorem Rhaetiae probare possum. Contra quem iam Asbach[2]) optimo iure Norbanum bis consulem fuisse dicit, cum procuratores ordinis equestris fuisse constet. Praeterea si revera ex Rhaetia venisset, ei non ita multae auxiliariae cohortes, nedum legiones, praesto fuissent.

Quod autem Asbach ipse difficultates ita tollere conatur, ut eum legatum provinciae Lugdunensis fuisse contendat, ea quoque sententia minime probanda est. Etenim quod tegulis in illis regionibus repertis innititur: LEG VIII AVG L APPIO LEG[3]), ab eo argumentum, quo Norbanum legatum provinciae Lugdunensis fuisse demonstretur, petere non licet, cum etiam in Germania superiore et in Aquitania tegulae ad id tempus, quo Norbanus Antonium suppresserat, potius referendae effossae sint.[4])

1) C. Dio 68, 30: *μαθὼν δὲ ταῦτα τόν τε Λούσιον καὶ τὸν Μάξιμον ἐπὶ τοὺς ἐφεστηκότας ἔπεμψεν καὶ οὗτος μὲν ἀπέθανεν ἡττηθεὶς μάχῃ.*

2) 'Westd. Zeitschr.' III. p. 22 adn. 33.

3) Eodem argumento usus Renier ('Academ. des inscript.' 1872 p. 423) eum legatum Aquitaniae fuisse opinatur.

4) cf. Mommsen, 'Röm. Gesch.' V. p. 137 adn. 1, Herm. XIX. p. 438. — cf. etiam 'Bulletin épigraphique de la Gaule' III. p. 306. — Ceterum quae infra p. 59—61 explicavi.

At vel ex eo, quod exspectatione celerius seditio exstincta est, intellegitur Appium Norbanum ex longinquioribus locis seditionem compositurum venisse. Iam vero mense Nov. aut Dec. anni 88 [1]) seditio orta est, die 25. mens. Ian. senatus in Capitolio supplicationes habuit et postero die Fratres Arvales „ob laetitiam publicam“ Iovi bovem immolaverunt. [2]) Quodsi computaverimus, quantum intervallum inter Mogontiacum et Romam intermissum hieme conficiendum fuerit, nuntium minus decem diebus Romam percurrere non potuisse concedemus, praesertim cum Alpes obstarent. Unde efficitur, proelio decertatum esse die 15. mens. Ian. vel paucis diebus ante. Exiguum hercle tempus ingenti rei gerendae! Vix seditio oriebatur, cum Norbanus Antonium devicit. Quomodo autem tam brevi tempore intermisso legatum Pannoniae cum copiis, praesertim media hieme, longam viam usque ad Rheni ripas confecisse putas? Minime igitur legiones Pannonicas contra Antonium profectas esse cogitare licet.

Difficultates autem fortasse expediuntur, si antea investigaverimus, in quo honorum gradu tum Appius Maximus, ‘confector belli Germanici’, fuerit. Primum quidem cum totum cursum honorum examinare nequeamus [3]), quod notissimus ille titulus Appii (VI. 1347 cf. p. 51 adn. 2) mutilatus est, quo anno primum et quo iterum consulatu functus sit, nescimus. Tum et in Dacia et in Parthia exercitui eum praefuisse constat (C. Dio 68, 9 et 30.). Deinde tegulae eius nomine insignitae, quas supra iam attulimus, apud oppidum, quod nunc *Dijon* vocatur, prope fines Germaniae situm repertae sunt: LEG · VIII · AVG · L · APPIO · LEG. Quibus in tegulis, quid significet compendium LEG nomini Appio postpositum, quaeritur.

Primum legatum eum appellant, qui provinciae praepositus est; tum legatus is vocatur, qui legioni praeest. Quandoquidem autem hae tegulae a legione coctae sunt, compendium

1) cf. Gsell, ‘Mélanges d’arch. et d’hist. IX. (1889) p. 9 sqq.

2) Acta fr. Arv. ed. Henzen p. CXXII. cf. Bergk l. l. p. 64.

3) Omnia de hoc viro testimonia diligentissime composita invenies apud Liebenam ‘Verwaltungsgesch. des Röm. Kaiserreichs’ p. 330.

LEG intellegendum esse „legatum legionis“ pro certo affirmare licet.

Patet igitur L. Appium fuisse legatum legionis VIII. Augustae, quae Argentorati semper castra stativa habuit. Inde quam maximis itineribus ad seditionis locum celeriter pervenire poterat, priusquam Antonius satis virium ad certamen undique coegisset. Germani quidem sub ipsum dimicationis initium advenerunt, sed Rheno repente resoluto, ne transirent, deterriti sunt. Ita Norbano contigit, ut Antonio superato seditionem comprimeret, quamquam ei haud ita magnae copiae, fortasse una tantum legio eiusque cohortes auxiliariae, quantum cognosci potest, praesto fuisse videntur. [1]) — Quo factum est, ut Domitianus, qui cum cohortibus praetoriis ex urbe ad bellum profectus erat, in itinere ipso iucundissimum nuntium audiret [2]), seditionem Antonianam esse sedatam. Neque vero

1) Quomodo exercitus Germaniae inferioris in seditione versatus sit, enodare studuit Ritterling (p. 16) ratus totum exercitum (sc. legiones I. Minerviam, VI. Victricem, X. Geminam, XXII. Primigeniam) simulque classem Germanicam cognomine P. F. decoratum fuisse, quod eo anno fidem et sacramentum Domitiano servavissent; sed in medio relinquendum esse vir doctus ipse concedit, ‘utrum legiones Antonium primo secutae postea deseruerint, an omnino illecebras et incitationes neglegentes sacramentum, quo sese Domitiano adegerant, violare non ausae sint, an ultro etiam suis armis castis atque religiosis illorum scelus et impietatem exstinguere subvertereque studuerint.’ Res ergo videtur nondum ita expedita esse, ut pro certo statuere liceat, quomodo legiones Germ. inf. anno 89. se gesserint. Quamquam Roulez, quod illae adversus Antonium stetisse opinatur, hoc parum certo fundamento nisus Norbanum legatum provinciae inferioris fuisse contendit (‘Mém. de l’acad. de Belgique’ 1875 p. 29), id quod valde a probabilitate abhorret neque quidquam habet, quo commendetur. Etiam Ritterling idem videtur censere, cum Appio Maximo duce legiones contra Antonium arma tulisse arbitretur. — cf. etiam quod C. Dio 67, 11 tradit: *ὁ (Λούκιος Μάξιμος) ἐπὶ τῇ μὲν νίκῃ οὐδὲν μέγα ἄξιός ἐστιν ἐπαινεῖσθαι,* quibus Reimarus ex Peiresianis excerptis haecce addidit: *πολλοὶ γάρ που καὶ ἄλλοι παρὰ δόξαν ἐνίκησαν, οἵ τε στρατιῶται αὐτῷ συνηγωνίσαντο.*

2) Plut. v. Aemil. Paul. c. 25: *ὅτε γὰρ Ἀντώνιος ἀπέστη Λομετιανοῦ καὶ πολὺς πόλεμος ἀπὸ Γερμανίας προσεδοκᾶτο τῆς Ῥώμης ταραττομένης ἄφνω καὶ αὐτομάτως ὁ δῆμος ἐξ αὐτοῦ φήμην ἀντέδωκε νίκης*

Romam revertit, sed ad belli sedem ipse se contulit [1]), cum Antonio profligato novum Germanorum bellum immineret, quia socii sceleris Antoniani facti erant. Tantum enim afuit, ut ferocia hostium anno 83. contusa esset, ut contra Germani rebus Antonii studentes contra Domitianum iterum acie dimicaturi essent. Sic re vera bellum adversus Chattos redintegratum est.[2])

Quam in sententiam optime quadrat, quod eae res, quas Romani seditione Antonii orta ad Rheni ripas tum gesserunt, in titulis una voce notatae nomine belli Germanici [3]) appellantur. Quo nomine iam indicatur Antonio suppresso Domitianum

---

καὶ τὴν Ῥώμην ἐπέδραμε λόγος αὐτόν τε τὸν Ἀντώνιον ἀνῃρῆσθαι καὶ τοῦ σὺν αὐτῷ στρατεύματος ἡττημένου μηδὲν μέρος λελεῖφθαι . . . πορευομένῳ δὲ τῷ Λομετιανῷ μετὰ δυνάμεως ἐπὶ τὸν πόλεμον ἤδη καθ' ὁδὸν ἀγγελία καὶ γράμματα φράζοντα τὴν νίκην ἀπήντησεν.

1) cf. Gsell, Mélanges d'arch. et d'hist. IX. 1889 p. 10. — Contra cf. Asbach 'Westd. Zeitschr.' III. p. 9.

2) Asbach, 'Westd. Zeitschr.' III. p. 23 adn. 38, 'Bonner Jahrbb.' 81 p. 30 et 41. — cf. Th. Bergk l. l. p. 66, qui omnia, quae rerum scriptores hac de re tradiderunt, accurate collegit.

3) Sic bellum nominatur in titulo VI. 1347 (cf. p. 51. adn. 2.). Huc referendi sunt etiam titulus VIII. 1026: 'Q. Vilanius ϒ coh. XIII. urb. donis donatus a Domitano ob bellum Dacicum, item ab eodem ob bellum Germanicum, item torquibus armillis ob bellum Dacicum.' — et fortasse titulus III. Suppl. 7397: 'M. Iulius Avitus Ultinia Reis Apollinar. ϒ leg. XV. Apol. item ϒ leg. V. Mac. et leg. XVI. Fl. Fir. bis donis donatus bello Dacico et bello Germanico.' — Hoc titulo Iulii Aviti nisus nuperrime Domaszewskius Mommseni sententiam — Appium Norbanum legatum Pannoniae fuisse (cf. p. 51/52) — eo comprobare studet, quod, cum legiones Moesiacae V. Macedonica et XVI. Flavia longius afuissent, quam ut ad bellum Germanicum excitarentur, illum centurionem tum in legione XV. Apollinare in Pannonia tendente militasse itaque eam legionem contra Antonium esse adductam contendit; ergo Norbanum ex Pannonia per Noricum et Rhaetiam, ut Antonium opprimeret, adventasse atque apud Vindonissam depugnatum esse. Sed primum Domaszewskius certissima argumenta, quibus dona militaria bello Germanico accepta re vera ad legionem XV. Apollinarem pertinere demonstratur, non attulit. Deinde etiam concere licet Iulium Avitum illis virtutis praemiis decoratum esse, cum gregariam militiam faceret, quae quod in titulo desideratur, nihil offensionis habet. Qua de causa virum illum doctissimum mihi assensuram esse spero, ubi primum ea, quae supra p. 50—54 protuli, legerit.

non prius bellare desiisse, quam etiam in Chattos severe ac vehementer animadvertisset. Deinde id quoque considerandum est, Domitianum anno 89. totiens imperatorem consalutatum [1]) esse, quotiens fieri non potuit, nisi eas acclamationes imperatorias ad res cum in Dacia tum in Germania bene gestas pertinere interpretamur.

Quibus rebus perpensis optime expediuntur ea, quae tradunt Suetonius v. Dom. 6: 'Domitianus de Cattis Dacisque post varia proelia duplicem triumphum egit'; et Hieronymus a. Abr. 2106 = 89/90: 'Domitianus de Dacis et Germanis triumphavit'; et Aur. Victor, Caes. 11, 4; 'Dacis et Chattorum manu devictis'. Itemque variis locis Chattos una cum Dacis Statius et Martialis commemorant, quos eo magis audiendos esse censeo, quod eiusdem fere aetatis erant.[2])

Ex quo efficitur Domitianum et cum Dacis et cum Germanis eodem tempore bellum gessisse atque ut in Dacia ita ad Rhenum rem prospere cessisse. — Quae tamen res altero bello Germanico gestae sint, singulatim exponere nequeo, cum de eo neque rerum scriptores tradiderint neque tituli certi quidquam praebeant; atque id tantum constat bellum feliciter patratum esse. —

Quibus rebus expositis nihil aliud restat, nisi ut anquiramus, quomodo Domitianus milites seditiosos, legionem XIV. Geminam et XXI. Rapacem, tractaverit. Si quae antea legiones tabe seditionis infectae aut alio eiusmodi scelere commaculatae erant, ita punitae sunt, ut deterrima quaeque plane dimitteretur itaque nomen maculatum exstingueretur. Porro eam quoque

1) Nimirum XV.—XXI., cf. Friedländer, Philol. 26. (1867) p. 44—80, maxime p. 53.

2) cf. Asbach, 'Bonner Jahrbb.' 81 p. 44 sqq., qui de singulis locis accurate disputat; praeterea loco potissimum Taciteo (Agric. 41) innititur recte, ut opinor: 'tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot militares vici cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum.' Quo loco verba 'in Germania' et 'de limite imperii' ad alterum bellum Chatticum seditionemque Antonianam spectare videntur.

poenam imperatores a legione scelere obstricta exigebant, ut externo bello implicaretur itaque inter pericula et labores mobilem animum deponeret. Ut Vespasianus legiones, quae Vitellium imperatorem consalutaverant atque contra Italiam arma moverant, ad externum bellum in Pannoniam misit, ut Suebos Sarmatas Dacosque a finibus propulsarent.[1]) Eiusmodi poenas sceleri, quod commiserant, accommodatas etiam eas legiones, quae Antonium secutae erant, luisse arbitror. Neque enim ullo modo fieri potuit, ut eaedem legiones quae nuper cum Germanis se consociaverant, ad Rheni ripas permanerent, ut fines imperii Romani ab eisdem barbaris defenderent.

Primum cum legionis XIV. Geminae monumenta anno 89. posteriora in Germania nulla exstent[2]), eam sub Traiano iam in Pannonia superiore tendentem invenimus. Nam quamquam Mursellae, in oppido inter Dravum et Danuvium flumina sito tegula una quidem adhuc exstat[3]), tamen complures tegulae Brigetione[4]) et Vindobonae[5]) nuperrime effossae sunt; quae cum validissimam ansam ad castra stationesque certius cognoscenda praebeant, luculentissime testantur sive legionem totam sive maiores minoresve eius partes per tempus aliquantum in illis locis fuisse. Atque cum ea monumenta tempori bellis Dacicis priori attribuenda sint, sequitur, ut legio XIV. Gemina sub finem ipsum primi saeculi in Pannoniam iam translata sit.[6])

1) cf. Tac. hist. III. 46: '(exercitus Vitellii) quem spargi per provincias et externo bello inligari pars consilii pacisque erat.' — Ceterum cf. p. 45 adn. 3.

2) cf. 'Korrespbl. d. Westd. Zeitschr.' VIII. (1889) p. 293. Cf. etiam ibid. I. (1882) n. 5. — ibid. III. (1884) p. 136. — ibid. VIII. (1889) p. 209 et 244.

3) cf. III. 3755 et quod Mommsen adnotat (p. 416).

4) Tegulae inscriptae sunt: VEXILL · LEG · XIIII. ET XV. — cf. 'Arch.-epigr. Mitt.' XIV. p. 82.

5) cf. 'Korrespbl. d. Westd. Zeitschr.' V. (n. 88) p. 252. Tegulae coctae sunt ad hypocaustum exstruendum vel restituendum eodem fere tempore, quo legio XIII. Vindobonae castra habuit.

6) Eo tempore legionem XIV. Geminam in Pannoniam amotam esse assentiuntur Aemilius Ritterling (l. l. p. 78) et Metellus Meyer (Philol. 47

Quae cum ita sint, quod seditionis Antonianae anno 89. particeps fuisset, hanc legionem e Germania ad Danuvium flumen amotam esse statuere licet. In provinciis enim Illyricis tum omnia bello flagrabant: etsi cladibus nonnullis acceptis tota legione deleta tandem Romani Tetto Iuliano duce victoriam ab hostibus reportaverant (= anno 88.), tamen bellum Dacicum nondum confectum erat et novum alio loco multo maius insuper exarsit [1]), Suebicum Sarmaticum, quod Pannoniae potissimum impendebat. — Ad id igitur bellum, cui Illyricae legiones pares fuisse veri non simile est, legio XIV. Gemina sub Domitiano abducta est.

Eadem poena videtur legio XXI. Rapax affecta esse. Sane quidem cuiuspiam admirationem moveat, quod neque ulla vestigia eius Domitiani aetate posteriora exstant [2]) neque quibus castris deinceps imposita sit, quibus rebus insequentibus annis interfuerit, titulis vel rerum scriptorum testimoniis docemur. Quapropter multi viri docti eo adducti sunt, ut legionem illis temporibus exauctoratam esse statuerent [3]), et cum ea aetate nulla occasio legionis exauctorandae oblata sit nisi seditio Antoniana, eam seditionem causam fuisse, cur legio XXI. Rapax dissolveretur coniecerunt. Sed cum duae legiones in Illyrico in bellis contra Dacos et Sarmatas a Domitiano gestis plane deletae sint [4]), mirum non videtur, quod etiam legionis XXI. Rapacis monumenta ad Danuvii ripas plane de-

---

[1889] p. 661). — Domaszewskius, qui ad id tempus aliter senserat (cf. 'Arch.-epigr. Mitt.' XI. p. 9 n. 9), nunc ipse quoque illis tegulis (cf. adn. 5 p. 57) adductus concedit legionem sub finem saeculi primi ad Danuvium flumen collocatam esse. — Ubi stativa legionis per id tempus fuerint, non constat. Carnuntinis castris imposita videtur esse, postquam legio XV. Apollinaris ad bellum Parthicum profecta est.

1) cf. Asbach, 'Bonner Jahrbb.' LXXXI. p. 36 (= „Die Kriege der flavischen Kaiser an der Nordgrenze des Reiches."). Optime et sagacissime hoc loco vir doctissimus explicat, quae bella Domitianus in regionibus ad Danuvium flumen gesserit, quo anno orta et quo confecta sint.

2) cf. H. Meyer l. l. p. 142 et Th. Bergk l. l. p. 67.

3) cf. Bergk l. l. p. 68—71.

4) Vide supra p. 45 adn. 2.

siderantur. Nam anno 89. a Domitiano in Pannoniam amota paulo post bello Sarmatico interfuit, quibus in proeliis tota legio cum legato simul caesa est.[1]) —

Hoc loco mihi liceat paucis exponere, cui anno eae tegulae in vico *Mirebeau* repertae: VEXILL · LEGIONVM I VIII XI XIIII XXI attribuendae sint, quae, cum in iis etiam prima legio occurrat, ad rem propositam certe pertinent.[2])

Praemonendum est quinque legiones in his tegulis enumerari, id quod iam Mommsen recte praedicat. Itaque hae vexillationes certe missae sunt, quo tempore in Germaniam plus quam quattuor legiones qualibet de causa convenerant. Atque cum insolitum legionum numerum in provincia nisi tumultuosis temporibus non fuisse eluceat, primum annus 70. respiciendus est, quo undique legiones in Germaniam ad bellum contra Civilem peragendum accitae erant (cf. p. 45). Ad eum autem annum illas tegulas referendas non esse apertum est, quod tum nulla legio numero primo insignita in Germania superiore aut inferiore versabatur. Etenim legio I. Germanica a Vespasiano exauctorata erat (cf. p. 45) neque legio I. Adiutrix eo anno suam provinciam Hispaniam omnino reliquit.[3])

---

1) Antonium ipsum, qui in proelio occisus erat, Domitianus poena afficere non potuit, sed multos eius amicos sociosque sceleris capitis damnavit. Quorum omnium capita Romam missa sunt, ut nobiles, qui item consilia nefaria agitarent, ab eiusmodi scelere deterrerentur. Cf. Cassium Dion. 67. 11, 3 (v. p. 51. adn. 2 et p. 54. adn. 1.): *οὐ μὴν οὐδὲ περὶ τῶν ἀναιρεθέντων τῇ βουλῇ τι ἐπέστειλε, καίπερ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, ὥσπερ τὴν τοῦ Ἀντωνίου, πέμψας ἐς τὴν Ῥώμην καὶ ἐς τὴν ἀγορὰν ἐκθείς.*

2) De his tegulis agitur in: 'Bulletin épigraphique de la Gaule' IV. p. 66. Cf. etiam Mommsen, Herm. XIX. p. 439 I. II. et Ritterling l. l. p. 75 adn. 1.

3) Praeterea ceterae quoque legiones, quarum numeri in tegulis cernuntur, coniunctae illo tempore laterculos coquere non potuerunt, cum in eadem provincia simul sub eodem legato non essent. Nam initio illius anni (70.) cum legio XIIII. Gemina tum demum e Britannia transvecta in Nervis Tungrisque (Tac. hist. IV. 79.) moraretur et legio XXI. Rapax in his quidem regionibus versans sub Petilio Ceriali legato inferioris provinciae militaret (Tac. hist. IV. 70. sqq.), legiones VIII. Augusta et XI. Claudia Annio Gallo, qui superiori provinciae praesidebat, paruerunt (cf. supra p. 46.). Sin autem posterioribus demum mensibus eiusdem anni,

Deinde in Germania superiore plus quam quattuor legiones anno 89. moratae sunt, quo anno ad exercitum provinciae legiones Hispanicae, ut supra exposuimus, accedebant, nimirum legiones I. Adiutrix et VII. Gemina. Tum igitur aliquamdiu ad superiorem Rhenum sex legiones collocatae fuerunt. Quarum ex numero cum legio VII. Gemina paulo post in Hispaniam remissa sit, quinque ibi legiones remanebant: I. Adiutrix, VIII. Augusta, XI. Claudia, XIV. Gemina, XXI. Rapax.

Quod cum easdem legiones in his tegulis inveniamus, eas anno 89. attribuendas esse negari vix potest, praesertim cum eo spatio temporis eas coctas esse conicere liceat, quo seditione Antonii compressa bellum in Chattos translatum erat. Sic convenit, et quod iam legionis I. Adiutricis paulo ante ex Hispania adductae vexillatio cum legionibus VIII. XI. XIV. XXI. coniuncta apparet, et quod legiones XIV. Gemina et XXI. Rapax, quas bello Germanico peracto in Illyricum amotas esse comprobavimus, non desiderantur.

Praeterea aliae tegulae his ipsis locis repertae exstant, quibus legione I. omissa quattuor legiones commemorantur. Quae res ut eo explicatur, quod illae vexillationes ante annum 89. videntur missae esse, sic nostram sententiam, quam supra protulimus, usque ad annos 88./89. in Germania superiore tetendisse legiones VIII. XI. XIV. XXI. quodammodo confirmat.

Quae tamen causa fuerit, cur vexillationes legionum in Germania superiore tendentium in extremos fines provinciae, vicinos Galliae Lugdunensis, ducerentur, cum explicare nequeamus, id tantum statuendum est ibi aedificia quaedam militaria exstructa fuisse [1]); id quod eo veri similius fit, cum iisdem

---

postquam legio XIIII. in Germaniam superiorem abducta est, illas tegulas attribuere vis, ne tum quidem potest vexillatio legionis XXI. Rapacis, quae in Germania inferiore belli labore occupata erat, coniuncta fuisse cum legionibus VIII. XI. XIIII., quae omnes ad superiorem Rhenum sub Annio Gallo erant.

1) Fortasse tum illis locis stationes vel horrea erigebantur; fortasse legionarii adhibebantur ad viam publicam muniendam vel restituendam,

fere locis illae tegulae legionis VIII. Aug., quas supra memoravimus, quibus nomen L. Appii legati inscriptum est, ad lucem prolatae sint. Itaque haec omnia optime expediuntur, si tegulas a legionibus Germaniae superioris coctas esse alias, quibus quinque legiones enumerantur, anno 89., alias, in quibus quinta (sc. I. Adiutrix) desideratur, ante seditionem Antonianam, alias, quas legio VIII. Augusta sola numeri sui et nominis legati notis signavit, post ipsam seditionem repressam conicimus. —

Monumentorum, quae haud ita multa in Germania superiore legio reliquit, unum potissimum hoc loco pertractandum esse censeo, quippe quod, cum omnium gravissimum sit, valde nos adiuvet in tempore, quoad legio in Germania permanserit, recte definiendo, nempe titulum illum notissimum n. 43/44, qui a duabus legionibus, I. Adiutrice et XI. Claudia, exaratus est. Sed valde est dolendum, quod hic lapis, in civitate Aurelia Aquensi repertus, in duas partes diruptus est, quarum adhuc non nisi unum fragmentum exstat. Qua de causa, quamquam legionum nomina accurate legebantur, ceterae litterae quid significarent, cui anno, id quod maximum erat, titulus tribuendus esset, plane cognosci non poterat. — Nunc autem omnia spissa caligine adhuc offusa optime explanata sunt, quod viri doctissimi Caroli Zangemeister acumini debetur. Qui quo loco disputat de tribus cippis miliariis primi saeculi [1]), qui in Germania superiore exstant, postquam miliarium in vico *Brühl* repertum felicissima coniectura supplevit sagaciterque declaravit, id miliarium ad viam publicam in dextra Rheni ripa stratam, quae Mogontiaci in meridiem vergebat, pertinere certis argumentis comprobavit. Anno autem 100. lapidem positum esse ex cognominibus imperatoris Traiani optime effecit.

Qua re bene perspecta, quod ad eiusmodi munera sustinenda legiones adhiberi solebant, facile intellegi potest hunc

quae Lugduno in septentriones vertit. — Alia quoque monumenta Romanorum ibi effossa sunt, ut reliquiae aquae ductus. Ceterum cf. 'Bullet. épigr. de la Gaule' III. 221—232, 303—307; ibid. IV. 22—26, 65—68.

1) 'Westd. Zeitschr.' III. (1884) p. 237.

titulum monumento insculptum fuisse, quod opere illo perfecto a duabus legionibus I. Adiutrice et XI. Claudia, quas eam viam publicam munivisse Carolus Zangemeister optimo iure putat[1]), imperatori Traiano dedicatum est. Videmus igitur legionem I. Adiutricem anno 100. in Germania tetendisse atque in opere ad usum militarem exstruendo una cum altera legione eiusdem provinciae occupatam fuisse.

Qua re cognita Aemilii Ritterling sententia facile refutatur, qui putabat (app. I. p. 75) cum anno 85. vel 86. ad Danuvium gravissimum bellum Dacicum ortum esset, non solum ex Britannia legionem II. Adiutricem in Moesiam traductam esse, sed etiam legionem I. Adiutricem ex Germania superiore, quam provinciam tum quinque legionibus ornatam fuisse; atque eam iam tum ex Germania amotam esse eo comprobari, quod laterculi huius legionis in stationibus paulo longius amotis et in ipsius limitis castellis plane desiderentur. — Primum autem quoniam Ritterlingii opinionem, qua maxime

1) Hoc loco etiam quae litterae initio huius tituli supplendae esse viderentur, vir doctissimus sagacissime enucleavit (l. l. p. 246 adn. 1.). Apud Brambachium (n. 1666) sic legimus:

a *b*
*i*MP NE} RVATRA
PONT{IF MAX
*le*GIADI*l*{ EG[illegible]XIC

Zangemeister vero versum primum sic emendandum statuit: Imp. Nerva Tra[ian. Caes. Aug.], versum alterum sic: pontif. max. [trib. pot. . . . cos . . . p. p.]. Sed mihi liceat ipsa verba eius afferre: „Nur das Fragment b. ist noch vorhanden und dieses habe ich kopiert. Die Inschrift ist stets unrichtig ergänzt worden; denn Traian kann nicht bloss imp. Nerva Traian. pontif. max. heissen. Vielmehr muss rechts noch ein Stück fehlen und ungefähr Folgendes ausgefallen sein: Zeile 1: ian. Caesar. Aug., Zeile 3: tr. pot. . . . cos. . . . p. p. Dieser Stein ist vielleicht in späterer Zeit rechts so gerade zugehauen worden, oder die Inschrift setzte sich auf einem andern Quader fort. Oben fehlt nichts. Ein Einschnitt zwischen Zeile 2 und 3 lässt vermuten, dass uns in dem Stein ein Gesimsstück vorliegt. — Haug hatte die Inschrift auf Beendigung des limes beziehen wollen (Philol. Wochenschrift 1882 p. 335); Pfitzner, 'Legionen' p. 84 f. mit wenig wahrscheinlicher Vermutung an eine gemeinsame Unternehmung der beiden Legionen während des Krieges im J. 97 gedacht."

innisus ille argumentationem suam instituit, nempe in Germania superiore tum quinque legiones fuisse, veram non esse fusius supra exposui, non habeo, quod singulatim eius sententiam refutem.

Iam omnino id monendum est totam de qua agitur rem in eo positam esse, ut concedatur legionem I. Adiutricem anno 70. et sequentibus in Hispania remansisse. Sed argumentum ipsum Aemilii Ritterling iam nihil valet, propterea quod vestigia legionis nuperrime, si non in ipsius limitis castellis, at in locis limiti proximis ad lucem prolata sunt (cf. infra p. 64). His potissimum tegulis adiuti optimo iure conicere possumus legionem in limite agendo una cum ceteris esse versatam. Quod quo facilius intellegatur, quas res tum Romani in Germania gesserint, breviter exponam.

Bello quidem Germanico confecto Domitianus, ut provinciam quam firmissimis praesidiis ab incursionibus barbarorum tutaretur, enixe operam dedit. Ut enim iam antea Germaniam praesidiis castellisque in Rheni dextra ripa permunire studuit, his bello Germanico posterioribus annis limitem superioris provinciae ita actum atque praesidia ita promota esse puto, ut nostra aetate ex reliquiis huius qui vocatur limitis certissime cognosci potest. Atque ut terra inter Rhenum et Moenum sita tuto occuparetur, tum etiam *Taunus* mons continuaque regio, quae appellatur *Wetterau* (circa fluvios *Wetter* et *Nidda* patescens), inclusa sunt. Itaque cum huius quoque legionis vestigia haud rara inveniantur in illis locis trans Rhenum sitis, intellegitur legionem I. Adiutricem usque ad bellum Traiani Dacicum in Germania ipsa esse moratam.

2. De castris legionis I. Adiutricis.

Quamquam legio propter seditionem Antonianam ex Hispania adducta erat, tamen bello feliciter patrato non eo revertit, sed ab illo tempore exercitui Germaniae superioris attributa est. Quibus castris deinceps imposita sit, facile cognoscitur. Legiones enim XIV. Gemina et XXI. Rapax, quas,

quod Antonium secutae essent, contra hostes ductas esse supra statuimus, ad id tempus in castris Mogontiacensibus fuerant. Quarum in locum legionem I. Adiutricem successisse et hac ipsa deliberatione efficitur et certissime monumentis legionis Mogontiaci repertis comprobatur.

Namque primum cippi militum sepulcrales, qui vel maximi momenti sunt ad definiendum, quae castra quaeque legio habuerit, ad unum omnes — sunt autem duodecim [1]) — itemque pleraeque tegulae [2]) Mogontiaci exstant. Deinde nulla legio tot lapides centuriarum notis signatos ibi reliquit, quot legio I. Adiutrix, nempe novem.[3]) Praeterea unus quoque titulus sacer nuper effossus est.[4])

Quandoquidem autem legionem inde ab anno 89. usque ad initium saeculi secundi in Germania tetendisse constat, ut titulis centuriarum legionisque laterculis eam multos labores et onera subisse evincitur, ita cippis potissimum sepulcralibus, qui nullo alio loco exstant, eam per totum tempus Mogontiaci castra stativa habuisse demonstratur.

Inde, ut opera aliqua exstruerent, huc vel illuc legionis maiores vel minores partes missas esse probant tegulae, quae cum Treveris et Tabernis tum in dextra ripa Rheni plurimae exstant: Kastelli, ad vicum *Heddernheim,* Aquis Mattiacis, ad vicum *Gernsheim,* nuperrime effossae in vico *Nied* prope oppidum *Höchst* ad Moenum flumen situm.[5])

---

1) n. 30—40, 42.

2) n. 46. II.

3) n. 45. — Haec saxa quadrata postea ad moenia urbis Mogontiaci aedificanda usurpata sunt ibique ante quadraginta annos etiam cernebantur (cf. Klein, 'Über die Legionen, welche in Obergermanien standen', prgr. gymn. Mogunt. 1853 p. 21.); nunc quidem in museo Mogontiacensi exstant. Quod autem tantus numerus lapidum, quibus singulorum centurionum nomina insculpta sunt, Mogontiaci repertus est, et aedificia militaria militum manibus exstructa esse et hanc legionem ad multa munera sustinenda adhibitam esse comprobatur.

4) n. 41.

5) cf. n. 46 I et V, III, IV, VI, VII.

3. De bellis, quibus legio I. Adiutrix interfuit.

I. Postquam legio in Germaniam advenit, seditio Antonii Saturnini compressa erat, sed novum bellum contra Chattos, quibuscum Antonius de auxilio ferendo egerat, exarsit. Cui bello legionem interfuisse tam consentaneum esse puto, ut pro certo haberi possit. Nam Traiano, quem legatum legionis tum fuisse supra probare studuimus, copias contra Germanos ducendas esse datas ex eis verbis apparet, quae Plinius extremo illo capite panegyrici tradit (cap. 14. cf. p. 40): 'cum aliis super alias expeditionibus itinere illo dignus invenireris.' Hoc igitur loco expeditiones memorantur, in quas Traiani copiae seditione Antoniana sedata continuo missae sunt. Proxima autem erat expeditio adversus Chattos anno 89. suscepta. Itaque perspicitur legionem I. Adiutricem ei expeditioni interfuisse. Haec igitur legio iam paulo postquam ex Hispania adducta est, Rhenum flumen transiit atque bellum intulit Chattis, qui illis temporibus maxime omnium Germanarum gentium populo Romano molestias exhibebant legionesque exercebant. Sed tum ita superati atque puniti videntur esse, ut nomine imperatorum et fortitudine legionum perterriti per multos annos a Rheni fluminis transitu impedirentur legionesque lacessere plane desisterent.[1])

II. Deinde post bellum Germanicum brevi tempore feliciter confectum in provincia superiore sub Domitiano hostile quidquam gestum esse ignoramus. Sed ad Danuvium simulatque multis cladibus acceptis Daci superati sunt, eodem fere tempore multo gravius bellum cum Suebis ortum est. Quod quamquam ad Pannonicas potissimum legiones pertinebat, tamen etiam Germaniae superioris legiones excitavisse videtur. Nam id bellum, quod Suebicum Sarmaticum vocatur, quotiens repressum esse ducebatur, totiens ita resurgebat, ut sub Nerva

1) Multis demum annis post cum barbaris undique urgentibus bello potissimum Marcomannico legiones occidentales deditae essent, Germani denuo fines Romanorum invaserunt, quos legio I. Adiutrix iterum excepit atque fugavit. Cf. infra p. 89.

demum debellaretur. Quo in bello legionem I. Adiutricem contra Suebos militasse efficitur ex titulo Q. Attii Prisci tribuni legionis (n. 13.), qui bello Suebico donis militaribus ab imperatore Nerva se donatum esse praedicat. Titulum autem re vera ad bellum contra Germanos vel Suebos, qui Danuvium flumen accolunt, gestum referendum esse Mommsen pro certo decrevit illis Plinii (paneg. c. 8) verbis maxime innisus, quibus eodem die, quo Nerva Traianum adoptaret, nuntium victoriae reportatae ex Pannonia allatum esse dicit.

Quamdiu I. Adiutrix ei bello interfuerit, incertum est. Neque vero credibile esse puto legionem, a qua exstructorum operum tam multa vestigia ad Rhenum exstent, diu externo bello implicatam afuisse. Immo integra legione ad belli sedem adducta Romanorum vires tantopere auctas esse, ut brevi tempore bellum conficerent, veri similius videtur. Itaque legionem I. Adiutricem, ut anno 97. in Pannonia fuisse illo titulo probatur, sic paulo post bellum Suebicum confectum castris Germanicis redditam esse existimo.

CAPUT IV.

De legione I. Adiutrice in Dacia.

Duo tituli veteranorum legionis in Dacia Apuli exstant, quorum alter (n. 47) 'pro salute imp. Nervae Traiani Dacici' dedicatus est. Annum vero, cui titulus attribuendus sit, terminis circumscribere possumus propterea, quod et cognomen Optimus, quod inde ab anno 114. continuo in lapidibus invenitur, hoc in titulo desideratur, et quod titulum sacrum post bella Dacica Traiani exaratum esse per se consentaneum est. Itaque certi fines annis 107. et 114. constituuntur.

Alter titulus (n. 48.) 'Fortunae Augustae et Genio Canabensium' a L. Silio Maximo veterano dedicatus est, qui 'primus magistrans' in canabis vocatur. Quo titulo post bella Dacica eo loco, quo urbs Apulum postea aedificata erat, vicum canabarum legionis cuiusdam fuisse docemur.

Duobus igitur titulis legionis ibidem repertis, cum alter veteranus se primum magistratum canabarum exstitisse disertis verbis glorietur — qui honos fortasse ei potissimum veterano mandatus est, qui in eadem legione, cuius erant canabae, stipendia meruerat — eas legionis I. Adiutricis canabas fuisse facile concludimus. Iam vero cum canabae semper castris stativis legionis applicatae fuerint, legionem I. Adiutricem per tempus aliquantum Apuli tetendisse efficitur.

Quodsi alterum titulum inter annos 107. et 114. positum esse probavimus et in altero veteranum legionis primum gessisse magistratum in canabis praedicatur, hos duos veteranorum titulos initio illius spatii tribuo. Itaque ex his, quae attuli, argumentis satis perspici potest legionem I. Adiutricem

post ipsa bella Dacica novae provinciae, quam acquisiverat, Traianum praesidio dedisse. Quin etiam si legio brevi post bella Dacica confecta castris Apulensibus imposita est, ut provinciam tuto occuparet, certe eam illis bellis interfuisse intellegitur. Nam cum Traianum nulla alia causa commotum nisi ut ea firmaret, quae priore bello subegerat, Dacis iterum bellum intulisse constet [1]), dubitandum non est, quin eae legiones, quas Traianus ad bellum contra Decebalum gerendum e Pannonia et Germania coegit, cunctae ante prius bellum Dacicum ad inferiorem Danuvium promotae sint. Sequitur ergo, ut haec quoque legio statim ab initio ad bella Dacica a Traiano excita sit.[2])

Quae cum ita sint, legionem exeunte anno 100. castris Mogontiacensibus relictis e Germania superiore in Illyricum translatam esse[3]) pro certo affirmare licet, unde vere insequentis anni Danuvio flumine transmisso fines hostium Traiano ipso duce invasit. — Atque eo iam temporis intervallo, quod intercedebat inter prius et posterius bellum, eam Daciae praesidio impositam fuisse crediderim.[4]) Quod sive verum est, sive falsum, legionem, postquam Decebali regnum barbaris ad internecionem fere deletis in provinciae formam redactum est, Apuli fuisse collocatam, ut novam provinciam firmaret, satis docuisse videor. —

Huc tegula n. 49. referenda est: LEG XIII GE I ADI, quae in museo Bucaresti exstat. Hoc monumento, in quo legio

---

1) Id Cichorius vir doctissimus certissime comprobavit eis, quae de belli illius historia in columnae Traianae monumentis expressa exposuit.

2) Idem sentiunt Jung, 'Die romanischen Landschaften des röm. Reiches.' p. 327. adn. 1, et Goos, 'Archiv f. siebenbürg. Landeskunde' Nova Ser. XII. 161. Eiusdem viri docti librum: 'Die röm. Lagerstadt Apulum' inspicere non potui.

3) Item e Germania inferiore legionem I. Minerviam Traianus ad bellum adduxit. Cf. Schilling l. l. p. 47.

4) Partem copiarum Romanarum per id spatium temporis aut in terra hostium ipsa aut in finibus remansisse ex eis elucet, quae Cassius Dio l. 68, 8 sqq. de bellis cum Decebalo gestis narrat. Ad id tempus fortasse tegula illa legionum XIII. Geminae et I. Adiutricis referenda est.

iterum una cum alia legione coniuncta occurrit, has duas legiones ad opus publicum, fortasse ad castrorum munimenta exstruenda adhibitas esse discimus. Itaque quaeritur, quale id opus fuerit, quo loco erectum sit. Qua de re etsi iudicium certum ferre non licet, cum quo loco illa tegula effossa sit, incertissimum sit, tamen coniecturam proponere conamur.

Neque vero probanda est Ernesti Schultze [1]) sententia, qui legionem I. Adiutricem in castris muniendis XIII. Geminam adiuvisse posteaque opere perfecto in provinciam suam dimissam esse [2]), putat, quae sententia ne speciem quidem probabilitatis prae se fert. Porro minime cogitare licet una praetoria duas legiones et munivisse et habuisse, cum inde a Domitiani aetate duas legiones unis hibernis imponere inusitatum esset. Quod autem gravissimum est, ne vestigia quidem legionis XIII. Geminae exstant, quibus eam iam anno 107. Apuli tetendisse demonstrari possit.

Certe id quidem constat legionem XIII. Geminam postea castris Apulensibus solam impositam esse.[3]) Sed quamquam eam sub Hadriano iam ibi fuisse fortasse quispiam dixerit [4]), tamen argumentis et titulis id tantum comprobari potest eam inde ab anno 142. Apuli castra habuisse.[5]) Sin autem inde ab anno 107. ibi tetendisset et si canabae, quas Apuli ab eo anno exstitisse supra probavimus, legionis XIII. Geminae fuissent, valde mirabile esset, quod non veteranus legionis

---

1) l. l. p. 97. — Si E. Scnultze eo, quod legio I. Adiutrix — 'hoc in opere re vera Adiutrix' — legioni XIII. Geminae postposita est, sententiam suam fulciri opinatur, rem haud recte definire videtur. Etenim si complures legiones numerorum nominumque suorum notis tegulas signant, is usus observatur, ut aut minor numerus maiori aut maior minori praecedat, id quod optime illustratur titulo no. 43./44., in quo legio I. Adiutrix legioni XI. Claudiae anteposita est.

2) Eam quaestionem, ubi essent castra stativa legionis I. Adiutricis, omnino neglexit neque solvere potuit, cum legio e Germania continuo ad belli sedem duceretur.

3) cf. Mommsen CIL. III. p. 182, et Herm. VII. p. 306 sqq.

4) cf. CIL. III. 1169.

5) cf. CIL. p. 940 et p. 959.

XIII., sed legionis I. primum magistratum obtinuit. Praeterea cum eam tegulam Apuli repertam esse minime constet, acquiescendum est in eo, quod legiones, quarum numeri inscripti sunt, alicubi in Dacia aedificia militaria coniunctas erexisse videntur.

Itaque ut in pauca summam disputationis cogam, post bella Dacica legio Apulensibus castris imposita est[1]); simulatque autem provinciam reliquit, in eius locum legionem XIII. Geminam successisse veri est simile.[2])

1) Huc fortasse referendus est titulus centurionis (n. 134), qui et in legione XIII. Gemina et in legione I. Adiutrice stipendia meruit; sed dubium, in utra legione vite donatus sit.

2) Cum Daciae illis temporibus legatum praetorium praefuisse constet (cf. Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I². p. 308—309 et p. 309 adn. 3.), unam solam legionem tum provinciae praesidio impositam esse apparet. Etenim si a duabus legionibus simul defensa esset, a viro consulari ut postea (cf. Borghesi, 'oeuvr.' VIII. p. 471. — O. Hirschfeld, 'Epigraphische Nachlese zum Corp. Inscr. Lat. vol. III. aus Dacien u. Moesien' Vindob. 1874. p. 10), non a praetorio regi debuit (v. p. 78. adn. 1). Quare legionem XIII. Geminam non post ipsa bella Dacica (id quod putat E. Schultze l. l. p. 59—63) in provincia Dacia collocatam esse equidem persuasum habeo, sed multo veri est similius eam anno 100. castra Vindobonensia ad bellum Dacicum profecturam reliquisse atque post bella Decebali confecta eo revertisse. cf. p. 74 adn. 1.

CAPUT V.

De legione I. Adiutrice in Pannonia.

§ 1. Quomodo legio in Pannoniam venerit et quamdiu ibi tetenderit.

In laterculo illo notissimo (VI. 3492) inter annos 135.[1]) et 169.[2]) exarato, cui omnium legionum, quae quidem tum existebant, nomina secundum ordinem provinciarum insculpta sunt, in Pannonia tendentes comprehenduntur legiones I. Adiutrix, X. Gemina, XIII. Gemina. Nec minus Claudius Ptolemaeus, clarissimus ille geographus, libro II. c. 14 § 3 (p. 292 ed. C. Müller), quo urbes ad Danuvium flumen sitas et legiones ibi tendentes enumerat, Pannoniam provinciam obtinuisse legiones I. Adiutricem, X. Geminam, XIII. Geminam testatur: *πόλεις δὲ εἰσὶν ὑπὸ μὲν τὸν Δανούβιον ποταμὸν Οὐινδόβονα λεγίων ι΄ Γερμανική* (*Γεμίνη* legendum esse iam dudum cognitum est), *Καρνοῦς λεγίων ιδ΄ Γερμανική* (= *Γεμίνη*), *Βριγετίων λεγίων α΄ βοηθός κτλ.* Duobus igitur vetustissimis testimoniis discimus legionem I. Adiutricem medio iam secundi p. Chr. n. saeculi aevo in Pannonia castra stativa habuisse.

1) quod legio VI. Ferrata iam in Iudaea memoratur, quam in provinciam translata est bello Hadriani Iudaico. Inde enim Iudaeae provinciae ad id tempus a viro praetorio gubernatae legatus consularis praesidebat, qua re copias provinciae altera legione adiecta auctas esse probatur (v. p. 78. adn. 1.). cf. Aemilium Ritterling l. l. p. 50 adn. 1.

2) quod legiones II. et III. Italicae, quarum nomina extra ordinem postea demum adscripta sunt, eo anno iam conditas esse titulo III. 1980 edocemur. — Mommsenus Borghesium (‘oeuvr.’ IV. p. 259) secutus illum indicem legionum inter annos 120. et 170. compositum esse putat. Cf. Marquardt, ‘Röm. Staatsverw.’ II². p. 451.

Quo autem tempore et quam ob causam legio e Dacia in Pannoniam translata sit, quaeritur. Quandoquidem Ptolemaeus, etsi Antonini Pii demum aetate scripsit[1]), tamen multa et ad provinciarum atque urbium descriptionem et ad res gestas pertinentia memorat, quae erant Traiani potius temporibus, quam quae erant sub Antoninis[2]), auctorem talem legionum distributionem praebere, qualis Traiani temporibus fuerit, inter omnes constat. Unde efficitur legionem I. Adiutricem Traiano imperante in Pannonia collocatam fuisse.

Quod cum duos illos veteranorum titulos aetatis Dacicae inter annos 107. et 114. dedicatos prioribus potius quam posterioribus annis eius spatii tribuendos esse per se verisimile sit, necesse est concludere legionem in Dacia diu versatam non fuisse, praesertim cum monumentorum parvo numero multorum annorum spatium minime conveniat. Itaque id quod per se summa probabilitate commendatur legionem sub finem aetatis Traiani e Dacia amotam esse, id etiam probatur deliberantibus nobis imperatorem, cum bellum contra Parthos pararet, adduci potuisse, ut exercitum Syriacum e Pannonia augeret — quod nihil habet, quo offendamur, cum Syriae saepissime Pannonicae legiones subvenerint. Atque re vera anno 114. Traianus e Pannonia legionem XV. Apollinarem in Asiam secum abduxit.

Quare veri simillimum fit legionem I. Adiutricem, ut exercitus Pannonicus una legione amota attenuatus suppleretur, inter annos 114. et 117. e Dacia in Pannoniam translatam esse.[3])

§ 2. De castris legionis.

I. Castra stativa habuisse legionem semper Brigetione Pannoniae superioris et auctorum fide et lapidum integritate

1) cf. Mommsen CIL. III. p. 416; — Erhard, Regesta historiae Guestphal. p. 42 sqq.; et quae contra eorum sententiam affert Ritterling l. l. p. 49 adn. 1.

2) cf. Müllenhoff, 'Monatsber. der Berl. Akad.' 1866. p. 1.

3) Eodem fere tempore legio X. Gemina in Pannoniam venit et XIII. Gemina in Dacia collocata est. Cf. p. 74 adn. 1.

certissime traditur. Nam praeter Claudium Ptolemaeum supra laudatum legionem in castris Brigetionensibus commemorant et itinerarium Antonini (p. 246) scriptum Diocletiano imperante, et notitia dignitatum (saeculi IV. exeuntis), quae quidem occ. c. XXXIII v. 51 (ed. Seeck.) cohortem quintam legionis ibi collocat. Quae testimonia luculentissime illustrantur monumentis, quorum longe maxima pars Brigetione vel in vicis proximis reperta est: titulis potissimum sepulcralibus militum [1]), qui stipendiis nondum absolutis in castris ipsis et mortui et sepulti sunt. Deinde plurimi tituli sacri et sepulcrales cum militum tum veteranorum [2]) ibi ad lucem prodierunt. Tum plerique laterculi singularum centuriarum notis signati atque tegulae legionis variis temporibus variis notis coctae [3]) iisdem locis effossa sunt. — Haec igitur erant castra legionis eaque sola usque ad tempora extrema, quoad omnino de legionibus Romanorum in provinciis Danuvianis aliquid cognoscere nobis licet. —

Praeterea cum ex cippis sepulcralibus veteranorum, quos multos Brigetione exstare modo cognovimus, tum ex titulo potissimum VI. 3198 (cf. p. 77) elucet ad castra Brigetionensia etiam canabas applicatas fuisse.[4])

II. Si iam quaeritur, ecquam legionem in castris Brigetionensibus ipsa I. Adiutrix exceperit, plane nos ignorare concedendum est, quo tempore, qua legione praetorium Brigetionense constitutum sit. Nullus enim titulus aut Brigetione aut prope Brigetionem repertus est, qui ad primum saeculum ascendat; immo antiquissimus fortasse, quoad cognosci potest, est titulus III. 4356 fere anno 137. scriptus.[5])

---

1) cf. n. 51—53. — Cf. etiam n. 50, qui titulus Brigetionensis a tota legione Iovi Optimo Maximo dedicatus est.

2) cf. n. 52 sqq.

3) cf. n. 107—111 et 112.

4) cf. CIL III. p. 539. Herm. XVI. p. 462 adn. 3.

5) In lapide haec insculpta sunt: Nymphis sacr ‖ L. Attius . . . ‖ Macro ‖ leg. Aug. [pr. pr.] — Legatus Pannoniae superioris L. Attius Macro consul fuit anno 134. cum P. Licinio Pansa. (CIL. III. p. 546.)

Nuperrime quidem monumenta, quae ad alias legiones pertinent, Brigetione effossa sunt, nempe tegulae, una legionis XXX. Ulpiae (cf. Schilling l. l. p. 38), duae legionis XI. Claudiae (III. 4688[a], Eph. epigr. II. p. 433 n. 921.), una in qua illud insculptum est: VEXILL · LEG · XIII · ET · XV · (cf. p. 57. adn. 4.).

Quibus de tegulis si licet coniecturam proponere, ad illa tempora eas referam, quibus Traianus diligentissime bellum contra Dacos comparaturus legiones Illyricas ita collocavit eorumque hiberna ad ipsum flumen Danuvium ita promovit, ut legiones Pannonicas adversus Suebos vel Marcomannos Quados Iazyges, Moesiacae adversus Dacos et Sarmatas disponeret. Quamobrem imperator non modo provinciam Pannoniam in superiorem et inferiorem divisit, sed etiam exercitui superioris provinciae novum praetorium addidit, nempe Brigetionense.

Quae tum Carnunti et Vindobonae castra habebant legiones erant XIII. Gemina et XV. Apollinaris; praeterea legionem XIV. Geminam anno 89. in Pannoniam venisse supra comprobavimus, sed incertum, ubi tetenderit. Ex his igitur legionibus, praecipue ex XIIII. Gemina et XV. Apollinare, vexillationes Brigetionem missae sunt, qui ibi aedificia militaria, fortasse ipsa castrorum munimenta exstruerunt. Legio vero XXX. Ulpia, quam ante ipsa bella Dacica constitutam aliquamdiu in Pannonia, priusquam in Germania collocata est, tetendisse constat, fortasse per id spatium propter bella Dacica ibi stativa cepit. Etiam ante XXX. Ulpiam fortasse legio XI. Claudia, quae postea sub legato Moesiae inferioris militabat, Brigetione morata est. Legione autem XV. Apollinare ad bellum Parthicum abducta et XIII. Gemina in Daciam translata ad duas, quae tum Vindobonae et Carnunti erant legiones, nempe X. et XIIII. Geminas, tertia adiuncta est: I. Adiutrix Brigetionensis.[1])

1) Mihi quidem Traianus, antequam in Asiam ad bellum Parthicum transiit, legiones Pannonicas, quarum unam (XV. Apollinarem) secum abduxit, denuo collocasse videtur: tum legionem X. Geminam e Germania

Sed omnia haec incerta sunt. Atque quaestio, quo tempore castra Brigetionensia constituta sint, pro certo decerni nequit, nisi materies titulis compluribus repertis aucta erit.

§ 3. Quando legio Pannoniae inferiori attributa sit.

Tribus legionibus, quas modo enumeravi, Pannonia superior circiter annum 117. defendebatur. Hae Pannonicae legiones erant omnium firmissimae et validissimae, ut cum provincia viribus plurimum valeret, tum is, qui ei praesidebat, in legatorum numero summae auctoritatis esset, quamquam praeter Pannoniam tres quoque provinciae a ternis legionibus obtinebantur.[1]) Etiam cum Severus, qui Pannoniae superioris legatus summa rerum potitus erat, imperii aemulis tribus devictis Britanniam in inferiorem et superiorem, Syriam in Syriam Coelen et Syriam Phoenicen divisisset, (legio V. Macedonica iam antea e Moesia inferiore in Daciam translata erat): Pannoniam superiorem, quippe ex qua provincia originem principatus haberet, solam tribus legionibus occupatam esse passus est.

Sed post mortem Severi praemio honoris non iam diu provincia videtur usa esse.[2]) Exstat enim Aquinci, ubi lega-

translatam esse (cf. Ritterling l. l. p. 51.) et legiones XIII. Gemina et I. Adiutrix provinciam mutasse admodum probabile est.

1) Britannia a legionibus II. Augusta VI. Victrice XX. Victrice, Moesia inferior a legg. I. Italica V. Macedonica XI. Claudia, Syria a legg. III. Gallica IIII. Scythica XVI. Flavia. — Cf. Cass. Dio. LXXIII 14, 3: *τρεῖς γὰρ δὴ τότε ἄνδρες, τριῶν ἕκαστος πολιτικῶν στρατοπέδων καὶ ἄλλων ξενικῶν συχνῶν ἄρχοντες, ἀντελάβοντο τῶν πραγμάτων, ὅ τε Σεουῆρος καὶ ὁ Νίγρος καὶ ὁ Αλβῖνος, οὗτος μὲν τῆς Βριτανν[ί]ας ἄρχων, Σεουῆρος δὲ τῇ Παννονίας, Νίγρος δὲ τῆς Συρίας.*

2) Partem huius quaestionis Domaszewskius vir doctissimus iam in Mus. Rhen. XLV. (1890) p. 204 sqq. tractavit atque de titulis, qui ad hanc rem spectant, tam sagaciter disputavit, ut vix pauca in medio relinqueret. Quae tamen omnia hoc loco mihi denuo sunt repetenda, cum alio fundamento nisus aliis atque novis argumentis ea, quae Domaszewskius statuit, comprobare possim. — Aemilius Ritterling, qui hanc quoque rem perstrinxit (l. l. p. 53 et 54), cum Severum Alexandrum auctorem rei mutandae fuisse sentiat, falsus est, ut infra comprobabimus.

tus Pannoniae inferioris sedem habebat, titulus n. 178, testis gravissimus, qui scholam speculatorum legionum I. et II. Adiutricum restitutam esse praedicat. Quo titulo quem legiones Adiutrices una posuerunt, efficitur has duas legiones simul sub eodem legato in eadem provincia fuisse.

Si non ita esset, certe neque communis fuisset schola legionum, quarum altera in oppido ipso Aquinco [1]), altera extra provinciam Brigetione castra habebat, neque omnino fieri potuit, ut speculatores legionis I. Adiutricis e finibus provinciae egressi Aquinci, in capite alius provinciae vicinae, scholam aedificarent. Quin etiam non exstruxerunt, sed restituerunt scholam, quo per complures iam annos speculatores legionis I. Adiutricis Aquincensibus adiunctos esse demonstratur. Nominibus autem consulum adiectis titulum anno 228. exaratum esse arguitur. Hoc igitur anno et fortasse iam multis annis ante utraque legio Adiutrix eidem provinciae praesidebant.

Iam quaeritur legio I. Adiutrix quando castra mutaverit. At castra non reliquisse legionem ex titulo nuper Brigetione reperto apparet (n. 181), in quo legimus: 'Minervae Aug. sacr. scola tubicinum ex voto pos. Imperante d. n. Alexandro et Dione [cos.].'

Cuius igitur legionis tubicines fuerint apertis verbis additum non est, id quod nihil offensionis habet, cum dubium esse non possit, quae legio sit intellegenda. Nam ut primo aspectu titulum sacrum sub Severo Alexandro dedicatum esse intelleges, ita ullam aliam legionem, postquam legio I. Adiutrix castris Brigetionensibus imposita est, ibi unquam tetendisse neque auctorum verbis neque monumentorum testimonio traditur: nullum vel minimum vestigium, ne tegula quidem alius legionis Brigetione apparet.

Qua re perspecta cum nullam nisi legionem I. Adiutricem, inde a Traiani temporibus Brigetione fuisse constet, hunc

---

1) Quando legio II. Adiutrix, quae antea Acuminci collocata erat, castra mutaverit, probabiliter explicavit Friedericus Gündel in dissertatione 'de legione II. Adiutrice' conscripta.

titulum ad eam pertinere manifestum est. Annus quoque facile ex nominibus Alexandri imperatoris, qui ter consulatu tum functus est, eiusque collegae adscriptis ita efficitur, ut titulum anno 229. dedicatum esse intellegamus.

Quae cum ita sint, cum iisdem fere temporibus, quibus speculatores legionis cum Aquincensibus coniunctis in capite Pannoniae inferioris apparent, legionem ipsam ut antea Brigetione tetendisse hic titulus testetur [1]), vix opus est affirmare legionem castra non permutasse. Contra de recta via vix aberrabimus, si his iam duobus titulis adiuti ante aetatem Alexandri Severi castra Brigetionensia legato Pannoniae inferioris attributam esse statuimus, ita quidem ut regione Brigetionensi una cum legione ibi tendente addita et exercitus provinciae inferioris augeretur et fines ipsi propagarentur.

Quod quam verum sit, etiam inde apparet, quod Brigetio oppidum et legio I. Adiutrix Pannoniae inferioris esse diserte dicuntur in titulo urbano VI. 3198: 'Aurelius Constans eques sing. Aug. n. . . . natus in Pannonia inferiore domo Brigetione at legione prima atiutrice.' [2]) Tum ad Cassium Dionem, testem gravissimum, provoco, qui in l. LV. c. 24 his verbis: *τὸ πρῶτον τὸ ἐπικουρικὸν ἐν τῇ Παννονίᾳ τῇ κάτω* legionem I. Adiutricem in inferiore provincia tendentem facit. Iniuria autem Dionis auctoritatem his in rebus nihili esse habitam ex collatis eius verbis cum titulorum testimoniis satis manifesto apparet.[3]) Hoc igitur statuo Brigetionem cum legione

---

1) Tubicines enim eodem loco, quo legiones tendebant, stationes habebant. Speculatores autem in officio legati provinciae atque in eius sede versatos esse, quod adhuc incertum erat, certis argumentis comprobavit Domaszewskius in Mus. Rhen. XLV. (1890) p. 209. Quare tum legionem I. Adiutricem sub legato Pannoniae inferioris fuisse apertum est.

2) 'at legione prima atiutrice' legendum est, non 'et'. Etenim non est, cur 'at', quod traditur, in 'et' mutemus, cum littera t pro d etiam in ATIVTRICE usurpetur neque ablativus pro accusativo in titulo, qui posterioris aetatis est, quidquam offensionis praebeat.

3) Testimonium Dionis hac in re minus valere adhuc putabatur, quod intellegi non poterat, quomodo accidisset, ut legio I. Adiutrix, quam per saecula Brigetione, in oppido Pannoniae superioris, castra habuisse

Brigetionensi a Pannonia superiore separata inferiori provinciae additam esse.

Ac si quaerimus, quo tempore Pannonia superior legione I. Adiutrice privata sit, titulus sacer Carnuntinus (n. 182.) afferendus est, quem M. Aurelio Antonino Caracallae cornicularii commentarienses speculatores legionum trium Antonianarum Pannoniae superioris dedicaverunt. Quo ex titulo — annus enim facile ex sententia tituli eruitur — anno 212. tribus legionibus Pannoniam superiorem occupatam fuisse discimus, quarum una legio I. Adiutrix fuit. Itaque cum speculatores huius legionis, qui anno 212. Carnunti, in capite provinciae superioris Caracallae monumentum exaraverant, anno iam 228. Aquinci, qua in urbe legatus inferioris provinciae sedem habebat, una cum legione II. Adiutrice scholam habuerint, fines nobis offeruntur anni 212. et 228., intra quos copiae Pannoniae superioris deminutae sunt.

Accedit, quod eodem tempore, quo exercitus Pannoniae inferioris addita altera legione ad eam, quae ad id tempus provinciam obtinuit, aucta est, etiam praesidem provinciae ad superiorem dignitatis gradum promoveri necesse fuit.[1]) Etenim Pannonia inferior ut ab una tantum legione defendebatur, ita

---

constabat, inferioris Pannoniae fieret. Item in titulo (VI. 3198.) modo laudato superior pro inferiore emendatum est. Minime enim viri docti de terminis Pannoniarum mutatis cogitabant. Nunc autem inscriptionibus magis magisque perlustratis Dionem, qui scripsit imperante Alexandro, narrantem de rebus, quae quidem ad eius aetatem spectant, levem auctorem non esse perspicuum est, cum titulorum testimonia optime cum eius verbis consentiant. Quin etiam locupletiorem huius rei, de qua hoc loco agimus, testem exstare nego quam Dionem, qui post consulatum in Pannonia legati munere functus (cf. C. Dio XLIX 36: *τῇ Παννονίᾳ τῇ ἄνω προσετάχθην* = a. 226—228. cf. Wirth, quaest. Sev.) omnium rerum harum provinciarum peritissimus habendus est.

1) Provinciae enim, in qua complures legiones castra habuerunt, legatus consularis praesidebat. Cf. Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I² p. 548 et 549. — Ceterum quod de Pannonia inferiore idem valet de provincia Dacia, quae initio a viro praetorio regebatur, sub quo una legio militabat (sc. XIII. Gemina); tum provinciae a duabus legionibus occupatae (sc. XIII. Gemina et V. Macedonica) praeses fuit vir consularis.

a viro praetorio regebatur. Sic Hadrianus praetoris munere functus fortasse primus, postquam Pannonia in duas partes a Traiano divisa est, legatus praetorius inferioris provinciae exstitit.[1] Atque etiam sub Septimio Severo talem virum in eam provinciam missum esse efficitur ex titulo illo notissimo 'C. Julio Septimio Castino legato Pannoniae inferioris' dedicato (n. 20. 21. 22.)[2], qui in *Buda* vetere effossus est. Quo in titulo disertis verbis memoriae proditum est Castinum eo tempore, quo provinciae praesidebat, consulem designatum fuisse. Deinde cum Castinus legatus trium Augustorum nominetur[3], titulum anno 210. positum et insequenti anno 211. Castinum consulem factum esse elucet. — Semel quidem Pannonia inferior sub legato consulari fuerat, scilicet anno 166. vel 167., quo propter belli necessitatem imperator Marcus Aurelius copias provinciae videtur auxisse.[4] Tum enim M. Pontium Laelianum consulatu functum eam provinciam obtinu-

1) cf. Spart. v. Hadr. c. 3. — CIL. III. 550.

2) Sunt autem tres lapides, qui iisdem verbis eodemque ordine cursum honorum Castini exhibent. Eiusdem viri sunt tituli Bramb. 520, arch.-epigr. Mitt. XIV. p. 59 (n. 22), III. 3480.

3) Patet enim tres illos Augustos intellegendos esse Septimium Severum patrem, M. Aurelium Antoninum Caracallam, P. Septimium Antoninum Getam filios, quorum Geta exeunte demum anno 209. Augustus declaratus est. Itaque cum prid. Non. Febr. anni 211. Septimius pater iam e vita decesserit, accuratissime, quo anno titulus exaratus sit, definire possumus — Hac in re erravit Otto Schilling ratus (l. l. p. 64) inter annos 203. et 207. Castinum consulem fuisse, quem post annum demum 210. consulatu functum esse ex illo titulo concludendum est. Quae sententia optime eo confirmatur, quod Castinum sub finem aetatis Caracallae provinciae Daciae consularem praesedisse Cassius Dio testatur his verbis: *ἀλογώτατα Μάρκιόν τε Ἀνρίππαν πρότερον μὲν ἐς Παννονίαν εἶτ' ἐς Δακίαν ἡγεμονεύσοντα ἔπεμψεν· τοὺς γὰρ ἄρχοντας αὐτῶν, τόν τε Σαβῖνον καὶ τὸν Καστῖνον, λόγῳ μὲν ὡς καὶ τῆς συνουσίας σφῶν δεόμενος, ἔργῳ δὲ τό τε πάνυ φρόνημα καὶ τὴν φιλίαν αὐτῶν τὴν πρὸς τὸν Καράκαλλον φοβηθείς, εὐθὺς μετεπέμψατο.*

4) cf. Capitol. v. Marci C. 22, 9: 'provincias ex proconsularibus consulares aut ex consularibus proconsulares aut ex praetoriis (*sic Domaszewskius*) consulares pro belli necessitate fecit'. V. Hirschfeld, 'Wiener Studien' III. p. 116.

isse dilucide demonstratur titulo VI. 1497.[1]) Sed id quod inter calamitates et discrimina temporum rei publicae esse placuerat, bello Marcomannico confecto in usum non receptum esse ut per se commendatur, ita titulo Castini supra laudato certissime evincitur.[2]) Sed post Severi aetatem ei provinciae, quae ad id tempus a viro praetorio regi solebat, legatum consularem praepositum fuisse ex titulis cognoscimus. Si igitur demonstrari potest, quo tempore pro praetorio consularis legatus eo coeperit mitti, etiam annus, quo legio I. Adiutrix a superioris provinciae exercitu separata sit, indagatus est.

Primus, qui consulatu functus praeses Pannoniae inferioris occurrit, C. Octavius Appius Suetrius Sabinus[3]), anno 114. consul factus est, et cum viri consulares tribus annis post consulatum provinciam ingredi soliti essent, anno 117. legatus Pannoniae inferioris fuisse putandus est. Itaque annum, quo legio I. Adiutrix legato inferioris provinciae attributa est, artioribus terminis circumclusimus, annis scilicet 212. et 217. atque comprobavimus Caracallam rei mutandae auctorem fuisse.

Qua re perspecta fortasse etiam continget, ut annum ipsum investigemus, quo id factum putemus. Paulo enim postquam principatum occupavit Caracalla, Alemanni limite superato in Galliam perruperant; cupiditate belli adductus imperator ipse, ut hostes propulsaret, anno 213. in Germaniam

---

1) 'M. Pontio M. f. Pup. || Laeliano Larcio Sabino cos. pon || tifici sodali Antoniniano Veriano || fetiali leg. Aug. pr. pr. prov. Syriae leg. Aug. || pr. pr. prov. Pannon. super. leg. Aug. pr. pr. Pan || non. infer. comiti divi Veri Aug. donato donis || militarib. bello Armeniaco et Parthico || ab imp. Antonino Aug. et a divo Vero Aug. || [coron.] mu[rali vallari clas]sica aur[ea || hastis puris IIII vexillis IIII . . .' Cf. Liebenam, 'Verwaltungsgesch.' p. 282. (n. 19).

2) Quae cum ita sint, apparet Borghesium (cf. 'oeuvr.' VIII. p. 460 sqq.), quem Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I² p. 293, et Schiller, 'Röm. Kaisergesch.' p. 644, secuti sunt, rem haud recte definivisse arbitratum inde a Marco Pannoniam inferiorem provinciam consularem fuisse.

3) De huius viri titulis cursuque honorum sagacissime et optime disseruit Mommsen in Eph. epigr. I. p. 130 sqq.

properavit.[1]) Quibus hostibus devictis cum insequentibus annis provincias ad Rhenum et Danuvium sitas contra incursiones hostium permuniendas curaret, etiam in Pannonia constitit. Inde bello inter Marcomannos et Vandalos orto interfuit (cf. Cass. Dio LXXVII 20, 3) et contra Iazyges, quin etiam contra Gothos, qui tum primo cum Romanis concurrebant, pugnavit.[2])

Huic anno, quo diutius in Pannonia Caracalla moratus est et cum omnibus fere finitimis gentibus conflixit, tribuam, quod de novis Pannoniarum finibus imperator statuit. Neque id alienum esse a Caracallae more eo demonstratur, quod idem provincias Hispaniae denuo ita terminavit, ut Asturia et Galaetia, quae antea provinciae Tarraconensis fuerant, novam provinciam formarent.[3])

Quibus rebus expositis satis docuisse videor, anno 214. vel 215. sub Caracalla Pannoniam superiorem Brigetione et legione ibi tendente privatam esse, et inde ab eo tempore Pannoniam inferiorem a legionibus I. et II. Adiutricibus esse defensam.

§ 4. De bellis et expeditionibus, quibus legio interfuit.

Omnium exercituum, qui in omnibus provinciis tendebant, longe praestantissimae fortissimaeque et ea aetate et postea legiones Pannonicae erant.[4]) Id enim primum clarissime eo illustratur, quod milites, qui inde a Septimio Severo optimi et fortissimi in cohortes praetorias diligebantur ex cunctis legionibus, e Pannonia oriundi ceteras provincias numero longe superant. Deinde in omnibus bellis et civilibus et externis, sive ad suam ipsam sive ad alias imperii provincias pertinebant, eas utique versatas esse videmus. Sed cum

1) cf. Cass. Dio. LXXVII 13 et 14. Spart. v. Caracalla c. 5. Vide etiam acta fr. Arv. ed. Henzen p. CXCVII.

2) cf. Spart. v. Caracallae c. 10, 6 et Cass. Dio. LXXVII. — Cf. etiam Wirth, quaestiones Severianae. Diss. Bonn. 1888. p. 14.

3) cf. II 2661 et Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I² p. 255. adn. 3.

4) cf. Jung, 'die romanischen Landschaften des röm. Reiches' p. 340 sqq.

rarissime una et altera legio disertis verbis in fontibus memoretur itaque, quibus legionibus quaeque expeditio facta sit, non plane perspiciatur, historiam legionis pertractare non possumus, nisi simul res totius exercitus Pannonici explicemus; etiam omnes res inde a Traiani aetate usque ad extrema principatus tempora enarrare debui, ut exponerem, quibus singulis bellis deinceps legio interfuisset. Quae tamen narratio cum extra fines, quibus hanc dissertationem circumscripsi, longe egrederetur, pauca, quae certioribus fundamentis vel testimoniis nituntur, attulisse satis habui.

I. Primum quidem miramur, quod militum huius legionis, quae inde a Traiani temporibus in Illyrico semper castra habebat, tres cippi sepulcrales (n. 151. 152. 153.) in Africa reperti sunt[1]), duo Caesareae, in oppido Mauretaniae Caesariensis in ora maritima sito, tertius prope Carthaginem in sepulcreto posteriore familiae domus Augustae; nam ex stipendiorum numero illos milites nondum militia perfunctos in legione militasse apparet. Quorum titulorum de tertio quidem (n. 153.) Carthaginiensi quamquam certi quidquam statuere non licet, tamen Iulium Felicem, cuius manibus titulus positus est, quod in columbario officialium procuratoris (cf. VIII. Suppl. p. 1335.) prope Carthaginem sepeliebatur, procuratori provinciae ministrasse probabile est.[2]) Sed duo alii illi milites huius

1) Cagnat, 'l'armée Romaine d'Afrique'. Paris. 1892. p. 270, mihi videtur rem haud recte definivisse his verbis usus (p. 271): 'On peut pourtant, à cause de l'endroit où on les a découverts, se demander si les trois textes précités suffisent à établir la présence d'une vexillation de cette légion en Afrique. Ne se pourrait-il pas que les soldats dont les noms y figurent aient été personnellement chargés de quelque mission auprès du procurateur de Maurétanie en résidence à Cherchel ou auprès du proconsul fixé à Carthage?' — Primum enim titulum Carthaginiensem et duos alios Caesarienses, qui secernendi sunt, non distinguit. Deinde quod iisdem fere locis Mauretaniae, ubi cippi sepulcrales legionis I. Adiutricis prostant, etiam aliarum legionum Pannonicarum aut Germanicarum militibus tituli exarati sunt, id omnino neglexit vir doctissimus, quamquam ad hanc quaestionem disceptandam maximi momenti est.

2) Etiam lectio tituli depravata videtur esse, cum miles quinquaginta

legionis quomodo in Mauretaniam venerunt? Certe si quis his titulis fretus concluserit legionem I. Adiutricem vel potius partem eius per tempus aliquantum in Mauretania versatam esse, id non sine veritatis quadam specie contenderit.

Sed firmissimum argumentum, quo re vera vexillationem huius legionis in Africam missam esse demonstratur, afferre possumus. Nam in eadem regione Mauretaniae, quae ad septentriones vergit, in locis pariter atque Caesarea ad oram maris sitis etiam complures titulos invenimus ad alias quidem legiones spectantes, qui ipsi quoque militum manibus dedicati eiusdem aetatis esse videntur, ut Cartennae duorum militum legionis I. Minerviae (VIII. 9654, 9662), quattuor militum legionis XXII. Primigeniae (VIII. 9655, 9656, 9658, 9659) [1]), militis legionis II. Adiutricis (VIII. 9653) et centurionis eiusdem legionis (VIII. 9660) [2]), atque in oppido, quod vocatur Portus magnus, militis legionis IV. Flaviae (VIII. 9762) et militis legionis XI. Claudiae (VIII. 9761).[3])

Primo obtutu cognoscitur illos milites earum legionum fuisse, quae per saecula ad Rhenum aut Danuvium collocatae erant. Urbes autem, ubi cippi sepulcrales effossi sunt, Caesarea, Cartenna, Portus magnus, omnes non longe inter se distantes in Mauretania ad oram maritimam sitae sunt.

---

quinque annos vixisse et decem tantum militasse in lapide enuntietur; fortasse lapidarii culpa in versu quarto tituli numerus X. pro compendio XX. insculptus est. Quocunque modo res se habet, equidem Iulium Felicem potius veteranum (quam militem) esse habendum existimo, qui stipendiis absolutis munus fortasse adiutoris in tabulario provinciae administrabat.

1) Tituli VIII. 9658 et 9659 praebent idem nomen C. Iulii Primi militis.

2) His in titulis legionis II. Adiutricis multum interest, eundem Iulium Quirinalem centurionem, qui T. Caesenio Iuvenali, militi centuriae suae, monumentum exaravit (VIII. 9653), ipsum quoque Cartennae diem supremum obiise; unde sequitur, ut legio II. Adiutrix per spatium aliquod temporis ibi morata sit.

3) Ad hanc quaestionem certe non spectant (non magis quam cippus sepulcralis legionis I. Adiutricis Carthaginiensis, cf. p. 82. et adn. 2.) tituli et centurionis legionis X. Geminae (VIII. 14698) et duorum veteranorum legionis II. Adiutricis (VIII. 3066. Suppl. 14605), qui aut in provincia proconsulari aut in Numidia (Lambaesi) prostant.

In duodecim igitur milites incidimus, qui procul a domo, procul a provincia, cui quaeque legio praesidebat, in Africa mortui sunt. Quare cum nulli nisi exercituum Germanicorum Pannonicorum Moesiacorum milites inveniantur, adducimur, ut has legiones simul eodemque tempore vexillationes in Mauretaniam misisse credamus. Quae sententia eo comprobatur, quod haec provincia non a legione, sed a paucis alis et cohortibus auxiliariis defendebatur, quae quin muneri, quod eis obvenerat, ut provinciam ab incursionibus hostium tutarentur, ob tanta terrarum spatia impares saepe fuerint non dubito. Etiam Numidiae vicinae una tantum legio praesidebat, quae certe in provincia sua defendenda contra lacessentes Nomades (cf. p. 85.) semper tota occupata erat.[1])

Nunc id agitur, quo tempore et quam ob causam vexillationes legionum occidentalium in Africam missas esse arbitremur. Primum sub Hadriano, qui rei militaris peritissimus etiam hostes semper ad incursiones faciendas paratissimos metu compressit, tantam seditionem ortam esse, ut aliarum legionum auxilio opus esset, veri non est simile.[2])

Deinde Pio imperante ut undique hostes iterum magis magisque urgebant, ita Mauri quoque magnis cum copiis in Mauretaniam invasisse videntur. Apud Pausaniam enim, qui ea fere aetate scripsit, legimus VIII 43, 3: (*ὁ δὲ Ἀντωνῖνος*) ... *πόλεμον μὲν Ῥωμαίοις ἐθελοντὴς ἐπηγάγετο οὐδένα, πολέμου δὲ ἄρξαντος Μαύρους, Λιβύων τῶν αὐτονόμων τὴν μεγίστην μοῖραν, νομάδες τε ὄντας καὶ τοσῷδε ἔτι δυσμαχωτέρως τοῦ Σκυθικοῦ γένους ὅσῳ μὴ ἐπὶ ἁμαξῶν, ἐπὶ ἵππων δὲ αὐτοί τε καὶ αἱ γυναῖκες ἠλῶντο, τούτους μὲν ἐξ ἁπάσης ἐλαύνων τῆς χώρας ἐς τὰ ἔσχατα ἠνάγκασεν ἀναφυγεῖν Λιβύης ἐπί τε Ἄτλαντα τὸ ὄρος καὶ ἐς τοὺς πρὸς τῷ Ἀτ-*

1) De copiis, quae Numidiae et Mauretaniae provinciis praesidio impositae erant, optime disseruit Cagnat, 'l'armée Romaine d'Afrique' p. 97 et 267 sqq.

2) cf. Spartian. v. Hadr. c. 5: 'Mauri lacessebant', et c. 12: 'motus Maurorum compressit'. Quibus verbis demonstratur Mauros, ut solebant, huius tractus incolas vexavisse, sed statim esse propulsatos.

λαντι ἀνθρώπους. Quibus ex verbis ea potissimum urgeo: ἐξ ἁπάσης ἐλαύνων τῆς χώρας. Etiam Capitolinus v. Antonini Pii c. 5. breviter id bellum his verbis commemorat: 'Per legatos suos plurima bella gessit ... et Mauros ad pacem postulandam coegit.'[1] Sub Pio igitur gravissima proelia contra Mauros commissa sunt, qui tum per totam Africam effusi provinciales ita vexavisse videntur, ut ad eos fundendos fugandosque copiae, quae praesto erant, non sufficerent, sed aliarum provinciarum firmissimae quaeque legiones auxilia mitterent. Numidia autem illis ipsis temporibus Mauretaniae vicinae auxilio venire non potuit, cum in ipsa provincia seditiones videantur motae esse; id quod explicatur ex titulo VIII. 2728, ubi librator a procuratore provinciae ad exstruendum aquae ductum Saldensem petitus et missus, quanta pericula in itinere subierit, queritur his verbis: 'profectus sum et inter vias lattrones sum passus, nudus saucius evasi cum meis.'[2]

Quae cum ita sint, ad id bellum Maurorum conficiendum, quod per saecula Romanorum copias vexabat premebatque, minores vel maiores partes earum potissimum legionum Germanicarum et Illyricarum, quarum titulos in Mauretania invenimus, accitae sunt. Atque id quod per se summa probabilitate commendatur legiones, quas enumeravi, expeditionem in Mauros coniunctas suscepisse Pio imperante, etiam confirmatur deliberantibus nobis eo tempore ad Danuvium et Rhenum hostes minus lacessivisse, cum et in Asia et in Africa seditiones moverentur.[3] Quamquam annum, quo id factum

1) Schiller, 'Röm. Kaisergesch.' I. p. 631. adn. 6. iam adumbravit Antonino Pio imperante expeditiones in Mauros factas et diutius atque saepius cum vagis illis gentibus pugnatum esse. Id etiam indicant nummi, qui sub Pio cudebantur (cf. Cohen, 'Monnaies impér.' II. p. 323,324 n. 551—553).

2) Aquae ductus autem Saldensis fortasse iisdem fere annis (147.—152.) inchoatus et dedicatus est, quibus bellum contra Mauros rebelles gerebatur. — Paucis iam annis ante (145.) legionem III. Augustam in provincia firmanda adiuvit vexillatio legionis VI. ferratae, quae viam Romanam per Aurasium montem stravit, cf. VIII. 10230. Vide etiam VIII. 2490.

3) cf. Capitol. v. Anton. Pii c. 5.

sit, accuratius definire non possumus, tamen optime omnia consonant, si sub Pio anno 145. vel proximis legiones Pannonicas et Germanicas contra Mauros militasse statuimus.[1])

Etiam auxiliarii simul cum legionibus suis ei expeditioni interfuisse videntur, cum complures tituli eorum auxiliariorum, quos exercitus Germanici aut Pannonici fuisse constat, in illa parte septentrionali Mauretaniae Caesariensis ad lucem prolati sunt. Imprimis enim alae I. Ulpiae Contariorum, quam annis 133. 148. 154. in Pannonia collocatam fuisse diplomatis XLVII. LX. LXV. (= XXXIX. p. 881.) evincitur, duo cippi sepulcrales et equitis (Eph. epigr. V. 1061) et curatoris alae (VIII. 9291, qui titulus ab imaginifero alae positus est) in vico *Arbal* prope ad Portum Magnum sito reperti sunt. Praeterea prostant in iisdem Mauretaniae oppidis, in quibus militum legionariorum, quos p. 83. nominavi, cippi sepulcrales effossi sunt, Cartennae et in Portu Magno tituli et equitis alae Afrorum[2]), quae in Germania inferiore stationem habebat, et librarii alae Brittanicae[3]), quae exercitus Pannoniae inferioris erat. Fortasse inter annos 148. et 154. vestigia alae I. Ulpiae Contariorum miliariae c. R. in Pannonia superiore non apparere eo ipso explicatur, quod bello Maurorum implicata procul a castris, quibus uti solebat, aberat.[4]) Quae si recte sunt demonstrata,

1) Assentior hac in re Schillero, qui l. l. (cf. p. 85. adn. 1.) motus Maurorum sub Pio circa annum 145. ortos esse putat, sed potius posterioribus (a. 145.—150.) quam prioribus annis id bellum tribuam. — Aliter iudicant Bossart et Müller in 'Büdingers Unters.' II. p. 309, sed valde premunt nummos initio aetatis Pii cusos.

2) cf. Bonner Jahrbb. LXXXI. 91 et LXI. 70. De variis alis earumque collocatione sagacissime et optime disseruit Cichorius in Paulys 'Real-Encyclop.' I². p. 1224 sqq.

3) cf. D. XXXIX (= XXVI. p. 869), DD. LXVIII/LXIX (= XLII/XLIII p. 884/885), D. LXXIV (= XLVI. p. 888).

4) In Portu Magno etiam hic titulus inventus est (VIII. 9765): 'D. M. ‖ M. Ulpius ‖ Silmius ‖ [p]oetovi ‖ mil. leg. ‖ stip. XVII. ‖ fecit Tauri ‖ us Senecio ‖ h. b. m.' Quo in lapide quod nomen numerusque legionis omissa desiderantur, mirum est; sed cum militem Poetovione in urbe Pannoniae natum esse diserte enuntietur, titulus sine dubio huc referendus est. Idem valet de titulo VIII. 9798 in *Ain Temuschent* (Safar) reperto in via,

magnum argumentum attulimus, quo id bellum Maurorum inter annos 145. et 150. gestum esse comprobatur.[1]) —

II. Sub Marco deinde legiones occidentales ad hostium incursiones, quibus castra ad ipsum Danuvium et Rhenum sita opposita erant maxime adhibebantur atque per multos annos distinebantur. Statim initio postquam Marcus simul cum L. Vero principatum occupavit (anno 162), Brittanos et Germanos, qui limitem perruperant, armis castigare et in fines suos reicere debuit.[2])

Sed multo maius eodem tempore bellum a Parthis commotum est, contra quos Romani L. Vero ipso duce arma tulerunt. Ad quod bellum conficiendum iterum Pannonicas le-

---

qua itur a Portu Magno per *Oran Tlemcen* et *Arbal* ad flumen Sennam inter meridiem et occidentem. Attamen Romanus Victorinus, quod simpliciter miles Germaniae inferioris nominatur, auxiliarius videtur fuisse. — Cf. etiam titulos VIII. 9059 ('mil. ñ. Divitiensis G(ermaniae) s(uperioris)') et VIII. 9060 ('ex p(rovincia) G(ermania) s(uperiore) ñ. Melenuens.), qui Auziae (nunc *Aumale*) in media parte Mauretaniae Caesariensis reperti sunt.

1) Nonnullis annis post sub Marco legiones Illyricae bello Marcomannico vix confecto iterum — nam vix repulsi denuo identidem Mauri populsandi causa in provincias invaserunt — vexillationes contra Mauros miserunt, qui tum etiam in Hispaniam transgressi omnes fere Hispanienses provincias vastaverant. — Cf. Cass. Dio. LXXI 12. — Annus 178/179 statuitur ex titulo urbano L. Iulii Vehilii Grati Iuliani ('praef. vexillationis per Achaiam et Macedoniam et in Hispanias adversus Costobocos et Mauros rebelles'), cf. Barnabei, 'Notizie degli Scavi' 1887 p. 536. — Tum quoque auxiliarii cum legionibus ad bellum profecti sunt, quibus a Marco praepositus erat T. Varius Clemens ('praef. auxiliariorum tempore expeditionis in Mauretaniam Tingitanam ex Hispania missorum'); cf. huius viri titulos III. 5211—5216. — Accuratissime de hac expeditione disputavit Heberdey, 'arch.-epigr. Mitt.' XIII. p. 190 (='Der Einfall der Kostoboken in Griechenland'). Ceterum cf. Hirschfeld, 'Wiener Studien' VI. p. 123. Huc referendi sunt tituli II. 1120 et 2015, fortasse etiam II. 4114 et VIII. 2786. — Vide etiam Marquardt, 'Röm. Staatsverw.' I². p. 249 adn. 4 et p. 256.

2) cf. Capitol. v. M. Anton. phil. c. 8, 7: 'imminebat etiam Brittanicum bellum, et Catthi in Germaniam ac Retiam inruperant, et adversus Brittannos quidem Calpurnius Agricola missus est, contra Catthos Aufidius Victorinus'.

giones arcessitas esse docemur titulo P. Iulii Geminii Marciani [1]), qui legioni X. Geminae praepositus iussu Marci vexillationes e Pannonia in Cappadociam duxit. Cui expeditioni etiam legionem I. Adiutricem interfuisse ut per se commendatur, ita multo probabilius fit perlustrantibus nobis titulum Concordiensem (n. 19.) qui P. Cominio Clementi ante annum 160. (L. Vero vivo) exaratus videtur esse. Is enim cum tribunatu legionis I. Adiutricis fungeretur, corona murali et hastis puris ab imperatoribus Antonino et Vero donatus esse in monumento praedicatur. Quamquam autem propter lapidem fractum titulus mutilatus est, tamen titulo eiusdem viri V. 8659. adhibito facile compleri potest; sed in versu sexto post vocem expeditionis non adiectivum Germanicum, sed Parthicum [2]) emendandum esse crediderim, praesertim cum bellis et ad Rhenum et in Asia simul ortis legiones Syriacae et Cappadocicae contra Parthos potius adiuvandi essent quam exercitus Germanicus. Itaque partem legionis I. Adiutricis tum in Asia dimicasse equidem persuasum habeo.

Deinde vix anno 166. Marcus et Verus de Parthis triumphaverunt, cum illud bellum periculosissimum quod vocatur Marcomannicum exarsit, quod imprimis Illyricum exercitum evocavit.[3]) Quid autem singulae legiones Pannonicae perfecerint, memoriae traditum non est. Certe qua erant virtute et constantia, in illis gravibus et diuturnis bellis, quae per viginti fere annos cum Marcomannis gesta sunt, fortissimas se praestiterunt. Atque hanc quidem legionem ita se gessisse

1) VIII. 7050: . . .'leg. Augg. super vexillationes in Cappadocia leg. Aug. leg. X. Geminae' . . . cf. Renier, 'mélanges d'épigraphie' p. 97—128, Ritterling, l. l. p. 59, Liebenam l. l. p. 15.

2) Quod in hoc lapide expeditio nominatur, certe titulus ad bellum Marcomannicum referendus non est.

3) cf. Cassius Dio LXXI 3: *αὐτὸς δὲ τοῖς περὶ τὸν Ἴστρον βαρβάροις, Ἰάξυσί τε καὶ Μαρκομάνοις, ἄλλοτε ἄλλοις χρόνον συχνὸν ὡς εἰπεῖν δι' ὅλου τοῦ βίου, τὴν Παννονίαν ἔχων ὁρμητήριον, ἐπολέμησε. πολλοὶ δὲ καὶ ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον Κελτῶν μέχρι τῆς Ἰταλίας ἦλασαν, καὶ πολλὰ ἔδρασαν ἐς τοὺς Ῥωμαίους δεινά. οἷς ὁ Μάρκος ἀντεπιὼν Πομπηιανόν τε καὶ Περτίνακα τοὺς ὑποστρατήγους ἀντικαθίστη.*

evincitur ex titulo Tiburtino C. Caesonio Macro Rufiniano dedicato (n. 23.)[1]), qui tribunus legionis I. Adiutricis a Marco donis militaribus donatus est.

Porro iisdem temporibus alii expeditioni legio I. Adiutrix interfuisse diserte memoratur. Bello enim Marcomannico denuo inflammato, novum annexum est, cum Germani, Chatti nimirum, Raetiam et Noricum invaderent atque totam provinciam depopularentur et vastarent. Quos ut propulsaret, Pertinacem, qui postea princeps exstitit, a Marco cum legione I. Adiutrice in eas regiones missum esse testantur Capitolinus v. Pert. c. 2, 6 (‘Pertinacem primae legioni regendae imposuit: statimque Rhaetias et Noricum ab hostibus vindicavit’) et Cassius Dio LXXI 3 (*οἷς ὁ Μάρκος ἀντεπιὼν Πομπηιανόν τε καὶ Περτίνακα τοὺς ὑποστρατήγους ἀντιθακίστη*).

Huc fortasse etiam titulus n. 177. Aquileiae repertus referendus est: VEXILLAT LEG · I · ET · II · ADI [ut] RIC. Constat enim Marcum Aquileiam denuo permuniendam curavisse, id quod nullo alio modo percipi potest, nisi Marcomanni et Quadi tum usque ad hanc urbem progressi sunt eamque fortasse obsiderunt atque expugnaverunt.[2]) Quare vix est audacius conicere, iam initio belli Marcomannici vexillationem legionis I. Adiutricis una cum vexillo II. Adiutricis excitatam esse[3]), ut hostes, qui fusi per agros et dispersi vagantes civibus pericula intendebant, occiderent et copiis Germanorum contusis muros Aquileiae denuo exstruerent atque munirent. —

III. Ut anno 69., sic anno quoque 193. Pannonicae legiones — atque in earum numero erat legio I. Adiutrix — in Italiam profecti sunt, ut legatum suum, quem imperatorem consalutaverant[4]), L. Septimium Severum, Romam du-

---

1) cf. Liebenam l. l. p. 63.

2) Ammian. Marc. XXIX 6, 1. — cf. Jung, ‘die romanischen Landsch. des römisch. Reiches.’ p. 501. — Mommsen CIL. III. p. 83.

3) Fortasse etiam in Raetiam utraque legio Adiutrix missa est, ut pariter atque Pertinax primae Pompeianus, quem Dio una cum Pertinace memorat, secundae Adiutrici praepositus fuerit.

4) In fidem et virtutem legionum suarum Septimius Severus principatum

